

LIBER
CONSTITUTIONUM
ET ORDINATIONUM
FRATRUM
ORDINIS PRÆDICATORUM

iussu

FR. BRUNONIS CADORÉ
magistri Ordinis a.D. 2018 editus

mutationibusque introductis
usque ad Capitulum Generale Cracoviæ sub
FR. GERARDO FRANCISCO TIMONER III
magistro Ordinis a.D. 2025 celebratum auctus



CURIA GENERALITIA
ROMÆ 2025

© 2025 Curia Generalitia Ordinis Prædicatorum
Piazza Pietro d'Iliria, 1 – 00153 Roma – Italia

ISBN 978-1-326-16294-8 (involucrum rigidum)
ISBN 978-1-326-16278-8 (involucrum molle)

www.op.org

IN DEI FILIO NOBIS DILECTIS
FRATRIBUS OMNIBUS ORDINIS PRÆDICATORUM

NOS
FR. BRUNO CADORÉ OP
TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS

Abhinc quinquaginta annos litteris missis die prima mensis Novembris anno Domini millesimo nongentesimo duodeseptuagesimo *Liber Constitutionum et Ordinationum* nostri Ordinis primum promulgatus est. Nostras leges temporibus aptando Ordo invitationi Concilii Œcumenici Vaticani II respondit:

« Ratio vivendi, orandi et operandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon, prout ab indole cuiusque instituti requiritur, apostolatus necessitatibus, culturæ exigentiis, circumstantiis socialibus et œconomicis, ubique, præsertim in missionum locis, apte conveniat. Secundum eadem criteria examini quoque subiciatur regiminis ratio institutorum. Quapropter constitutiones, “directoria”, libri usuum, precum et cæremoniarum aliique id genus codices, congruenter recognoscantur atque, iis præscriptis suppressis quæ obsoleta sint, documentis huius Sacræ Synodi aptentur » (*Perfectæ caritatis*, 3).

Ut frater Anicetus Fernandez in litteris promulgationis novi libri post Capitulum Generale apud *River Forest* declarabat, omnes nostri fratres incitati sunt ut suam operam darent ad scripta novis temporibus apta paranda. Quæ ratio, memor propositi nostri Sancti patris Dominici prædicationis et animarum salutis (cf. LCO 1 § I et *Primæ Constitutiones O.P.*, prol.), ad effectum

adducta est societate et communione quæ sunt regiminis in traditione dominicana.

Iam ab annis Concilii, Ecclesia et Ordo animadverterunt vehementes et festinantes commutationes in humana societate. Quæ commutationes exigebant responsionem illo gravi Ecclesiæ tempore; sed commutationes in humana societate et in technicorum arte intermissæ non sunt neque etiam nunc intermittuntur, exigentes semper responsionem novis temporibus aptam. Inter novitates quas *Liber Constitutionum et Ordinationum* continebat erat consilium promulgandi in uno libro constitutiones firmiores: « leges fundamentales Ordinis, seu principia euangelica et theologica necnon determinationes de Ordinis natura et fine, forma vitæ et regimine », una cum ordinationibus flexibilioribus, « normæ quæ, perspectis temporibus, dantur ad applicationem vel executionem constitutionum » (ACG River Forest 1968, 85).

Ratio qua *Liber Constitutionum et Ordinationum* usus est requirebat incrementum et accommodationem per annos responsionibus subsequentiis Capitulum Generalium temporum signis et postulationibus regiminis in Ordine. Quas accommodationes ut fratres commode cognoscerent et responderetur postulationibus variorum Capitulum Generalium (cf. ACG Avilæ 1986, 157; ACG Bononiæ 1998, 203; ACG Bogotæ 2007, 240), novæ editiones libri promulgatæ sunt a Magistris Ordinis fratre Damiano Byrne annis 1984 et 1986, fratre Timoteo Radcliffe anno 1998 et fratre Carolo Azpiroz Costa anno 2010.

In Capitulis Generalibus Romæ (2010), Traughuriis (2013) et Bononiæ (2016) Ordo emensus est iter novæ conformationis. Non iam sunt vicariatus generales vel regionales et normæ vicariatus provincialibus et vice provinciis varie commutatæ sunt (cf. LCO 257-258; 384-389; 477-484). Norma suffragii per litteras (cf. LCO 455-bis) et etiam per instrumenta electronica (cf. LCO 455-ter) temporibus aptata est. Formula composita de definitiva

interpositione ordinationum in *Libro Constitutionum et Ordinationum* imminuta est (cf. LCO 285). Qua re videtur pervenisse tempus aptum ad novam editionem libri quam hodie promulgamus.

Inter incrementa technologica et socialia significantiora ultimorum decenniorum sine dubio est « continens digitalis », quæ tangit non solum modum quo Ordo prædicat Euangelium (cf. ACG Bononiæ 2016, 151–156), sed etiam modum quo noster dialogus in Ordine efficitur (cf. ACG Bononiæ, 2016, 157–160). Omnino nostræ leges vivunt in mundo digitali; cum præteritis temporibus Capitula Generalia peterent ut divulgarentur novæ editiones typis exscriptæ *Libri Constitutionum et Ordinationum*, temporibus recentioribus petunt maiore vi editionem electronicam (cf. ACG Cracoviæ 2004, 241; ACG Bogotæ 2007, 240; ACG Romæ 2010, 297; ACG Traughurii 2013, 272; ACG Bonoïæ 2016, 338). Dominus Noster nobis dicit, « omnis scribe doctus in regno cælorum similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera » (Mattæus 13, 52). Hæc editio *Libri Constitutionum et Ordinationum*, aucta omnibus mutationibus Capitulorum Generalium usque ad Bononiæ anni bis millesimi sexti decimi, præsentatur et antiquo et novo modo. Præsens liber est sine dubio codex typis exscriptus, cum stabilitate quam hæc ars fert. Nostri fratres qui edent vel accipient professionem eum manibus tenebunt ut signum manifestum nostræ fidei sequelæ Christi exemplo Sancti Dominici. Sed nunc textus typis exscribitur nova arte quæ dicitur *print on demand* et permittit eius complementum velox et haud magnæ impensæ post omne Capitulum Generale. Eodem tempore totus textus invenitur in eo loco Ordinis qui dicitur telæ totius terræ, www.op.org. Quo modo omnes fratres, studentes et prædicantes regnum cælorum, possunt facile accedere ad hunc thesaurum legum qui regit nostrum commune propositum.

Hac in nova editione similia principia et methodus servata sunt ac in editionibus a fratre Damiano Byrne annis 1984 et 1986, a fratre Timotheo Radcliffe anno 1998 et a fratre Carolo Azpiroz Costa anno 2010 promulgatis. Qua re merito editionum antecedentium ipsa verba repetere decet: « Cum autem editio ita proposita multimodis perfici posset, intentio fuit librum potius practicum in luce dandi. Quamobrem in præsentī editione textus in duas partes dividuntur. In prima parte leges vim obligandi habentes inveniuntur, seu omnes constitutiones et ordinationes quæ nunc obligant... In secunda parte textus inveniuntur, qui etsi nullam vim obligandi in præsens habent, tamen eam in legislatione nostra iterum assumere possunt; nempe sive agitur de constitutionibus per inchoationem vel adprobationem cum ordinatione suspensis, sive agitur de aliquibus ordinationibus pro quibus alius textus propositus et acceptatus fuit ». Notantur etiam in secunda parte mutationes pro constitutionibus (inchoationes et adprobationes) nondum vigentes.

Iam inde a capitulo generali Walberbergensi (cf. ACG 1980, 184) « aliquæ mutationes factæ sunt quibus substantia legis non afficitur (cf. LCO 276 § I). Hoc factum est seu ad accommodandos textus cum nova legislatione ecclesiastica, seu ad componendos textus cum aliis numeris, seu ad redigendum clariorem textum. Etiam in redactione huius editionis aliquæ mutationes secundum illas rationes factæ sunt. Hæ mutationes sine referentia ad capitula respectiva insertæ sunt, sed in actis horum capitulorum inveniri possunt, vel ut mutationes mere materiales intelligi possunt » (sive technicæ).

Ut semper accidit, nova editio *Libri Constitutionum et Ordinationum* Ordinis Prædicatorum effecta est diligenti opere subsequentium Capitulorum Generalium, in ministerio communionis et universæ missionis Ordinis. Præsens editio præcipue perficit eum novum ordinem qui conatus est secundum nostræ ætatis condiciones melius æquare mores vitæ proposito « ferendi ad

mundum nomen Domini Nostri Iesu Christi » (LCO 1 § I) quod nos iungit.

Traditio quæ nobis tradita est a Sancto Dominico efficit ut noster Ordo constituatur eius legibus ita ut unusquisque omnibus viribus nitatur ut maxime intersit constitutioni huius « prædicationis communionis ». Quæ ipsa traditio indicat prædicationi qua ratione constituentur euangelica vita et vita apostolica hominum, sodaliorum et apostolicarum conformationum, ut investigatio « veritatis quæ efficit liberos » cordi sit nostræ communi conscientiæ apostolicæ in ministerio Ecclesiæ et animarum salutis. Tum vero radices fide penitus agentes in hac traditione nos humiles mendici et misericordiæ prædicatores obœdientiam profiteamur.

Datum Romæ, e curia nostra generalitia, apud S. Sabinam, die nona mensis Aprilis, in solemnitate Annuntiationis Domini Nostri Iesu Christi, anno incarnationis eiusdem Domini bis millesimo duodevicesimo.

frater Bruno Cadore OP
magister Ordinis

frater Ioannes Ariel Bauza-Salinas OP
a secretis

Prot. n° 50/18/241 LCO

IN DEI FILIO NOBIS DILECTIS
FRATRIBUS OMNIBUS ORDINIS PRÆDICATORUM

NOS
FR. ANICETUS FERNANDEZ OP
S. THEOLOGIÆ PROFESSOR
AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS
SALUTEM ATQUE LEGUM NOSTRARUM
OBSERVANTIAM

I

Concilio Œcumenici Vaticani II decretum de accommodata renovatione vitæ religiosæ, cui titulus *Perfectæ caritatis*, ita statuerat:

« Accommodata renovatio vitæ religiosæ simul complectitur et continuum reditum ad omnis vitæ christianæ fontes primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipsorum ad mutatas temporum condiciones. Quæ renovatio sub impulsu Spiritus Sancti et Ecclesia duce, promovenda est secundum principia quæ sequuntur:

a) cum vitæ religiosæ ultima norma sit Christi sequela in Evangelio proposita, hæc ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur;

b) in ipsum Ecclesiæ bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanæ traditiones, quæ omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt;

c) omnia instituta vitam Ecclesiæ participant, eiusque incepta et proposita ut in re biblica, liturgica, dogmatica, pastorali, œcumenica, missionali et sociali, iuxta propriam suam indolem, sua faciant et pro viribus foveant;

d) instituta, de hominum temporumque condicionibus deque Ecclesiæ necessitatibus, congruam cognitionem apud sodales promoveant; ita ut mundi huius ætatis adiuncta in lumine fidei sapienter diiudicantes, atque zelo apostolico exardescentes, efficacius hominibus subvenire valeant;

e) cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur per professionem consiliorum evangelicorum, serio perpendendum est optimas accommodationes ad necessitates temporis nostri peractas effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali, cui semper etiam in operibus externis promovendis primæ partes tribuendæ sunt.

« Ratio vivendi, orandi et operandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon, prout ab indole cuiusque instituti requiritur, apostolatus necessitatibus, culturæ exigentiis, circumstantiis socialibus et œconomicis, ubique, præsertim in missionum locis, apte conveniat.

« Secundum eadem criteria examini quoque subiciatur regiminis ratio institutorum.

« Quapropter constitutiones, “directoria”, libri usuum, precum et cæremoniarum aliique id genus codices, congruenter recognoscantur atque, iis præscriptis suppressis quæ obsoleta sint, documentis huius Sacræ Synodi aptentur.

« Efficax renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus.

« Normas autem accommodatæ renovationis statuere et leges ferre, necnon sufficienti prudentique experientiæ locum dare, competentium tantum auctoritatum est, præsertim capitulorum generalium, salva, quatenus necessaria sit, adprobatione

Sanctæ Sedis et Ordinariorum locorum, ad normam iuris. Superiores vero, in his quæ ad totius instituti sortes spectant, sodales suos apto modo consulant et audiant ...

« Meminerint tamen omnes spem renovationis ponendam esse magis in diligenti regulæ et constitutionum observantia, quam in multiplicandis legibus. »¹

Die vero 6 augusti 1966 litteræ apostolicæ *Ecclesiæ Sanctæ* Motu proprio datæ, normas ediderunt ad decretum *Perfectæ caritatis* exsequendum, prout sequitur:

« Omnium superiorum et sodalium cooperatio necessaria est ad vitam religiosam in seipsis renovandam, ad spiritum capitulorum præparandum, ad ipsorum opus peragendum, ad leges et normas a capitulis latas fideliter observandas.

« Ad accommodatam renovationem promovendam in singulis Institutis congregetur intra duos vel ad summum tres annos speciale capitulum generale, ordinarium vel extraordinarium.

« Hoc capitulum in duas periodos distinctas, temporis spatio generatim non ultra annum protracto, dividi poterit, si ita ipsum capitulum secreto suffragio decreverit.

« Consilium generale in hoc capitulo parando amplæ et liberæ consultationi sodalium apte provideat et eiusdem consultationis exitus opportune ordinet ut opus capituli adiuvetur et dirigatur. Hoc autem efficere poterit, e.g. capitula conventualia et provincialia audiendo, commissiones constituendo, series quæstionum proponendo, etc.

« Hoc capitulum generale ius habet quasdam normas constitutionum mutandi ad experimentum, dummodo finis, natura, indoles Instituti serventur. Experimenta contra ius commune, prudenter quidem facienda, pro opportunitate libenter a Sancta Sede permittentur.

¹ *Perfectæ caritatis*, 2–4.

« Hæc experimenta protrahi possunt usque ad proximum capitulum generale ordinarium, cui facultas erit eadem prorogandi, non tamen ultra aliud capitulum immediate subsequens. »²

« Uniuscuiusque Instituti leges generales hæc fere elementa complectantur:

a) principia evangelica et theologica de vita religiosa eiusque unione cum Ecclesia, atque apta et certa verba quibus “agnoscantur et servantur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanæ traditiones quæ omnia cuiusque Instituti patrimonium constituunt”;³

b) normas iuridicas necessarias ad Instituti indolem, fines mediaque clare definienda, quæ normæ nimis multiplicandæ non sunt sed semper adæquato modo exprimi debent.⁴

« Utriusque elementi, spiritualis nempe et iuridici, unio necessaria est ut Institutorum codices præcipui stabile fundamentum habeant, eosque verus spiritus et norma vitalis pervadant; cavendum est igitur ne conficiatur textus vel tantum iuridicus vel tantum exhortatorius.⁵

« Ex Institutorum codice fundamentali ea excludantur quæ iam obsoleta sint, aut secundum consuetudines alicuius ætatis mutabilia, vel moribus mere localibus respondentia.

« Illæ vero normæ, quæ præsentī ætati, sodalium condicionibus physicis, psychicis necnon peculiaribus rerum adiunctis respondeant, ponantur in codicibus additiis, qui directoria, libri usuum, vel aliis nominibus vocantur. »⁶

² *Ecclesiæ sanctæ*, 2–6.

³ *Perfectæ caritatis*, 2 b.

⁴ *Ecclesiæ sanctæ*, 12.

⁵ *Ecclesiæ sanctæ*, 13.

⁶ *Ecclesiæ sanctæ*, 14.

II

Omnia hæc præscripta Concilii Œcumenici et Sanctæ Sedis etsi ab omnibus cognita, iterum in memoriam revocare bonum existimamus, ut iterum omnes religiosi nostri rite intellegant quale magnum et difficile opus fuerit aggrediendum pro constitutionum nostrarum recognitione, sicut numquam in historia Ordinis evererat.

Per duos annos ingens labor protractus est; præparatio textus recogniti fuit diligens, sapiens et sollicita, etsi deficientiæ ut in omni opere humano accidit, adfuerunt. Sed methodus perfecta sub aspectu tecnico, licet desiderabilis, longius tempus et expensas notabiles exegisset, dum nec necessaria videbatur nec a Concilio nec a S. Congregatione pro religiosis imposita aut commendata.

Elenchus quæstionum elaboratus ad omnes religiosos Ordinis in primis transmissus fuit ut responsiones darent et alia manifestarent si vellent. Responsiones duo millia quingentæ pervenerunt. Numerus sat magnus, præsertim si consideremus perplures responsiones mentem cuiusdam cœtus et non individuorum exprimere.

Responsiones prædictæ in sex mille quingentes quinquaginta sex sententias ordinatæ sunt a triginta patribus, per unum mensem ad hoc insimul coadunatis. Pariter per unum mensem congressus provincialium et peritorum summaria sententiarum attente consideravit et disceptavit plus quam mille quingentis publicis interventionibus postquam primis diebus mentes omnium informatæ sunt per expositionem a specialibus peritis factam de problematibus et aspectibus societatis hodiernæ quæ magis ad rem nostram attinent et de statu actuali Provinciarum. In hoc congressu tercentæ octoginta et novem conclusiones habitæ sunt tamquam normæ considerandæ in bonum futuræ recognitionis textus constitutionum.

Deinde peculiaris commissio, cui nomen *centralis*, per fere sex menses coadunata strenue laboravit ad schema recognitum conficiendum, attentis animadversionibus super illo a provinciis subinde manifestatis.

Ex supradictis inceptis revera dici potest capitulum generale, apud *River Forest* celebratum, sufficientem informationem habuisse de problematibus quæ nostram ætatem urgent, necnon tempus pariter habuisse textum constitutionum parandi, prout res humanæ permittunt. Præterea, ulterior consideratio per duos menses patribus capitularibus tributa est. Textus propositus a singulis commissionibus, secundum materiam, statim capitularibus submissus fuit ut animadversiones in scriptis diligentius manifestarent; quibus acceptis textus revisus in sessionibus plenariis post explanationem relatoris publicis discussionibus submissus est.

Quod evenit maxima cum libertate, ita ut interventiones in sessionibus plenariis numerum mille nongentæ octoginta octo attinuerint. Demum secreta votatio pro adprobatione textus.

III

Iam præsides octo commissionum capituli generalis *River Forest* celebrati breve commentarium publici iuris fecerunt super textu a singulis commissionibus parato et proposito ordinem materiæ illustrante necnon nexum inter varios articulos et numeros, insertas innovationes etc. Quare parum de hoc dicendum.

In initio libri, *constitutio fundamentalis* præclare asserit propositum Ordinis utendo verbis Honorii Papæ III qui Dominico et fratribus eius scribebat: « Is qui Ecclesiam suam nova semper prole fecundat, volens hæc moderna tempora conformare prioribus et fidem catholicam propagare, pium inspiravit vobis affectum quo, amplexi paupertatem et regularem vitam professi, verbi Dei exhortationi vacetis, evangelizantes per orbem nomen

Domini nostri Iesu Christi ». Quod propositum semper ante oculos habitum est in redigendo textu.

Quoad *vitam regularem* indoles positiva totius expositionis statim apparet; item momentum consecrationis religiosæ et vitæ communis. Character communitarius *orationis liturgicæ* quem tam fortiter asserit constitutio *Sacrosanctum concilium*, necnon valde deminutum tempus officio choralis sacrum, melius iustificat suppressionem dispensationis a sequela chori. Oratio privata commendatur secundum antiquissimam traditionem Ordinis. Quoad *studia*, aspectus apostolicus et communitarius studiorum nostrorum affirmatur. Antiqua figura lectoris conventualis reviviscit, illa vero promotoris provincialis primo statuitur. *Ministerium verbi* characterem pro nobis habet universalem: ad populum fidelem ut fides nutriatur; ad populum infidelem ut fides suscitetur; ad cœtus universitarios secundum traditionem Ordinis, ut sacra doctrina propugnetur; ad fratres separatos ut unitas Ecclesiæ foveatur; ad operarios demum ut testimonium Evangelii detur et veritas quoque inter illos diffundatur. Novus textus de *institutione fratrum* favet progressivæ integrationi fratrum cum tota communitate, tam in vita ac regimine quam in apostolatu, cum responsabilitate ipsius communitatis in eadem fratrum institutione. Duo præcipua criteria in renovatione legislationis *de regimine* adhibita sunt: primum, maioris participationis fratrum; alterum, maioris decentralizationis seu autonomiæ provinciarum. Privilegia, quibusdam officiis antea conexa, suppressa sunt. Quædam innovatio magni momenti *in electionibus*: fratres cooperatores, eodem modo ac clerici voce activa fruuntur et membra eligi possunt consilii conventualis et provincialis, necnon in socios prioris vel delegatos capituli provincialis. Textus *administrationem æconomicam* respiciens in unum colligit omnes normas administrativas quæ usque adhuc diversis in locis dispersæ erant, et attentis peculiaribus adiunctis modernæ exigentiæ hac in re, late disserit de principiis ad-

ministrationis œconomicæ, de modo administrandi et de administratione in specie.

Constitutio vero fundamentalis, quæ est textus principalis et ante omnes alios codificatus, vitæ nostræ elementa essentialia continet, quæ substantialiter mutari non possunt. Inter autem alia ibi legitur: « Apostolicæ missionis participes, vitam quoque Apostolorum secundum formam a s. Dominico conceptam assumimus, vitam communem unanimiter agentes, in professione consiliorum evangelicorum fideles, in communi celebratione liturgiæ, præsertim vero Eucharistiæ et officii divini, atque oratione ferventes, in studio assidui, in regulari observantia perseverantes. Hæc omnia, non solum ad Dei gloriam et sanctificationem nostram conferunt, verum etiam saluti hominum directe inserviunt, cum ad prædicationem concorditer præparent ac impellant, eam informant et ab ea vicissim informantur. Quibus elementis firmiter inter se conexas, harmonice temperatis et mutuo se fecundantibus, in sua syntesi vita propria Ordinis constituitur, vita integro sensu apostolica, in qua prædicatio et doctrina ex abundantia contemplationis procedere debent. »⁷ Ita rite indicata est missio Ordinis nostri prout Concilium Œcumenicum Vaticanum II petierat, dicens: « Fideliter agnoscantur et servantur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanæ traditiones, quæ omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt ».⁸

Et revera sicut primæva testimonia asserunt: « erat venerabili patri (Dominico) consuetudo continua, ut totam diem impenderet lucris animarum aut sedulis prædicationibus insistendo, aut confessionibus audiendo, vel ceteris operibus caritatis operam dando. »⁹ Fundator noster « in se regulam rigide et integre ob-

⁷ LCO 1 § IV.

⁸ *Perfectæ Caritatis*, 2 b.

⁹ MOPH XXXVII, 30; XVI, 151, n. 33.

servabat et volebat a fratribus observari »;¹⁰ « virgo fuit mente et corpore usque ad finem vitæ suæ »;¹¹ « paupertatem diligebat et hortabatur fratres ad paupertatem »;¹² « stabat in matutinis circumcumeundo utramque partem chori monendo et sollicitando eos ut alte et devote cantarent »;¹³ « semper volebat fratres intentos lectioni »;¹⁴ « semper cum Deo vel de Deo loquebatur ».¹⁵

IV

Nunc autem super Librum constitutionum et ordinationum, ac præsertim super textum constitutionis fundamentalis necnon super vitam Patris nostri Dominici, probent seipsos fratres, ut se recognoscere possint illius filios. Proinde omnes fratres, et in primis postulantes, quos Ordo eodem amore amplectitur quo Pater noster Dominicus ipsos recipiebat, sciant Ordinem peculiarem indolem habere inter plurimas vitæ religiosæ formas Spiritu Sancto afflante institutas, ut uniuscuiusque Dei donum ac charisma probentur.

Asserit enim Concilium Œcumenicum Vaticanum II quod « in ipsum Ecclesiæ bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant »;¹⁶ et iterum: « e consilio divino mirabilis varietas cœtuum religiosorum succrevit, quæ valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa et ad opus ministerii in ædificationem Corporis Christi parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo et per eam innotescat multiformis sapientia Dei. »¹⁷

¹⁰ MOPH XVI, 166, n. 48.

¹¹ MOPH XVI, 158, n. 39.

¹² MOPH XVI, 150, n. 32.

¹³ MOPH XVI, 156, n. 37.

¹⁴ MOPH XVI, 151, n. 32.

¹⁵ MOPH XVI, 135, n. 13.

¹⁶ *Perfectæ caritatis*, 2 b.

¹⁷ *Perfectæ caritatis*, 1.

Omnes demum meminerint opus renovationis secundum fidelitatem erga Patrem nostrum Dominicum ab Ecclesia præscriptum ad melius sequendum Christum et ad efficacius hominum necessitates subveniendas secundum exigentias temporum, effectum non sortiri sine profunda renovatione spirituali quæ omnes novas structuras informare debet; cum illa vita interior deest vel debilis est, structuræ meliores nullum effectum producant; sed cum vita interior adest efficaciter supplere potest structuras imperfectas.

En, fratres dilectissimi, leges nostræ, novæ vel noviter formulatæ, tam indefesso labore et amore ab omnibus mediate vel immediate paratæ, omnesque a capitulo generali adprobatæ. Perfectæ adhuc non sunt, sed non est magnum incommodum, quia possibilitas adest illas perficiendi per capitula generalia sicut mos est in Ordine.

Hæc omnia explicare voluimus, ut omnes novas constitutiones non solum sine præiudicio infundato et damnoso recipiamus, sed cum amore et humilitate; cum fervore insuper et diligentia in praxim illas deducentes, cum amore et fervore spiritus vivificantes, signa temporum in meliorem partem semper interpretantes, non obstantibus difficultatibus hodiernis, sicut decet eos qui fiduciam ante omnia in Deo omnium bonorum largitore ponunt.

Datum Romæ, e curia nostra generalitia, die 1 mensis Novembris, in festo Sanctorum omnium, anno Domini MCMLXVIII.

fr. Anicetus Fernandez, O.P.
magister Ordinis

fr. Patricius Pilastro, O.P.
secretarius generalis

Prot. Num. 165/68

REGULA BEATI AUGUSTINI EPISCOPI

*Incipit regula beati Augustini Episcopi.*¹

1. Ante omnia, Fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista praecepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quæ ut observetis præcipimus, in monasterio constituti.

Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo; et sit vobis *anima una et cor unum* (Act 4, 32) in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro victus et tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus apostolorum, quia *erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat* (Act 4, 32.35).

Qui vero aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire. Non tamen ideo putent se esse feli-

¹ Textus Regulæ quem hic damus, est textus receptus ab Ordine, prout exstat in prototypo, in archivo generali Ordinis asservato. Numeri sumpti sunt ex L. VERHEIJEN, *La règle de Saint Augustin: I. Tradition manuscrite*, Paris, 1967, pp. 417–437.

ces, quia invenerunt victum et tegumentum quale foris invenire non potuerunt.

Nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant. Sed sursum cor habeant, et terrena vana non quærant: ne incipiant monasteria divitibus esse utilia, non pauperibus; si divites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur.

Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant, non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt; nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas in monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur ut pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, cum anima misera superior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis Deum invicem, cuius templa facti estis.

2. Orationibus instate, horis et temporibus constitutis. In oratorio, nemo aliquid agat nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit: ut si forte aliqui, etiam præter horas constitutas si eis vacat orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.

Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisi quod legis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.

3. Carnem vestram domate ieiuniis et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentione audite; ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi; sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorumve datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus, non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem, pervenire non potuerint. Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

Sane, quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere ne graventur, ita et post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiam si de humillima sæculi paupertate venerint; tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad felicioris consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent; ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcite fuerint fortiores. Melius est enim minus egere, quam plus habere.

4. Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quo itis, simul state. In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam feminarum, in nullam figantur. Neque enim, quando proceditis, feminas videre prohibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminis est. Nec solo tacito affectu, sed affectu et aspectu quoque appetitur et appetit concupiscentia feminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum se invicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo, corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qui in feminam figit oculum, et illius in seipsum diligit fixum, ab aliis se non videri, cum hoc facit. Videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur.

Sed etsi lateat et a nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper Inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre. Illius namque et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: *Abominatio est Domino, defigens oculum* (Prov. 27, 20).

Quando ergo simul estis in ecclesia, et ubicumque feminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

Et si hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem et post admonitionem iterum,

vel alio quoque die, idipsum facere eum videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuerit invenire. Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, ut duorum vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri.

Nec vos indicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari dum timet secari: nonne crudeliter a te sileretur, et misericorditer indicaretur! Quanto ergo potius debet manifestare, ne deterius putrescat in corde!

Sed, antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est si negaverit, prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi; ne forte possit secretius correctus, non innotescere ceteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii etiam coram omnibus, ut possit non ab uno teste argui, sed a duobus vel tribus convinci. Convictus vero, secundum præpositi, vel etiam presbyteri ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusaverit etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inve-niendis, prohibendis, indicandis, convincendis, iudicandisque peccatis, diligenter et fideliter observetur, cum dilectione hominum et odio vitiorum. Quicumque autem in tantum fuerit progressus malum, ut occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, et oretur pro illo. Si autem deprehenditur atque vincitur, secundum arbitrium præpositi vel presbyteri gravius emendetur.

5. Vestes vestras in unum habeatis, sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne a tineâ

lædantur; et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur; utrum hoc recipiat unusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat; dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur.

Si autem hinc inter vos contentiones et murmura oriuntur, cum conqueritur aliquis se deterius accepisse quam prius habuerat, et indignum se esse quod non ita vestiatur sicut alius frater vestiebatur; hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen, si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod posueritis, in uno tamen loco, sub communibus custodibus, habete quod ponitis; ita sane ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, maiori studio et frequentiori alacritate, quam si vobis singuli faceretis propria. Caritas enim, de qua scriptum est, quod *non quærit quæ sua sunt* (cf. 1 Cor 13, 5), sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo, quanto amplius rem communem quam propria vestra curaveritis, tanto vos amplius proficere noveritis; ut in omnibus quibus utitur transitoria necessitas, superemineat quæ permanet caritas.

Consequens ergo est, ut, etiam cum quis suis filiis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnetur.

Indumenta vestra secundum arbitrium præpositi laventur, sive a vobis, sive a fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Lavacrum etiam corpori, cum infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur. Fiat sine

murmure de consilio medicinæ, ita ut etiam si nolit, iubente præposito faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, et forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiam si noceat prodesse creditur, quod delectat. Denique, si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.

Nec eant ad balnea, sive quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus iusserit ire debet.

Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam sine febribus laborantium uni alicui debet iniungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Sive autem qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta vero et calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur.

6. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitis: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (1 Io 3, 15). Quicumque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit, et ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem se invicem læserint, invicem sibi debita relaxare debent, propter orationes vestras; quas utique, quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis.

Melior est autem, qui, quamvis ira sæpe tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam tardius in-

clinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non proiciatur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite. Quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

Quando autem necessitas disciplinæ moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis; ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos quos plus iusto forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

7. Præposito tanquam patri obediatur; multo magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista servantur, etsi quid servatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, ad præpositum præcipue pertinebit, ut ad presbyterum, cuius apud vos est maior auctoritas, referat, quod modum vel vires eius excedit.

Ipse vero qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed caritate serviente, felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo, substratus sit pedibus vestris. Circa omnes, seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari a vobis appetat quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurus esse rationem. Unde vos, magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos, quanto in loco superiore, tanto in periculo maiore versatur.

8. Donet Dominus ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione fragrantés, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut sibi debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.

Explicit Regula b. Augustini episcopi.

DE CONSTITUTIONIBUS ET ORDINATIONIBUS VIGENTIBUS

- Constitutiones (characteris rotundis), pro quibus non viget alius textus per inchoationem vel adprobationem cum ordinatione.
- Inchoationes (⊛) et adprobationes (⊛⊛) factæ cum ordinatione (cf. nn. 276 § I et 277).
- Ordinationes (characteris cursivis) in capitulo generali River Forest celebrato pro *Libro Constitutionum et Ordinationum* factæ et pro quibus in capitulis generalibus sequentibus non sunt introductæ mutationes (cf. Acta Capituli Generalis apud Madonna dell’ Arco, nn. 29, 30 et 32).
- Ordinationes in capitulis post capitulum River Forest celebratum factæ et a tertio capitulo generali ad normam n. 285 § I adprobatae.
- Ordinationes in capitulis generalibus Biên Hòa anno 2019 (BH) et Tultenango anno 2022 (T) celebratis pro LCO factæ, etiamsi per duo capitula in vigore nondum permanserint et in tertio adprobatae non fuerint (cf. n. 285 § I et Acta Capituli Generalis apud Madonna dell’ Arco, nn. 29 et 30).
- Siglum “◆” indicat ordinationem factam pro LCO ab uno capitulo; siglum vero “◆◆” indicat ordinationem pro LCO approbatam in capitulo sequenti, abrogata ordinatione prævia ad normam n. 285 § II.
- Numerus post sigla “T” (Tultenango, 2022) et “K” (Cracovia, 2025) indicat numerum actorum respectivi capituli.

CONSTITUTIO FUNDAMENTALIS

1. — § I. — Propositum Ordinis his exprimebat verbis Honorius papa III s. Dominico et fratribus eius scribens: “Is qui Ecclesiam suam nova semper prole fecundat,¹ volens hæc moderna tempora conformare prioribus et fidem catholicam propagare, pium inspiravit vobis affectum quo, amplexi paupertatem et regularem vitam professi verbi Dei exhortationi vacetis, evangelizantes per orbem nomen Domini nostri Iesu Christi”.²

§ II. — Ordo namque fratrum prædicatorum a s. Dominico datus “specialiter ob prædicationem et animarum salutem ab initio noscitur institutus fuisse”.³ Fratres igitur nostri, iuxta præceptum fundatoris, “ubique, tamquam viri qui suam et aliorum salutem procurare desiderant, honeste et religiose se habeant, sicut viri evangelici, sui sequentes vestigia Salvatoris, cum Deo vel de Deo secum vel proximis loquendo”.⁴

§ III. — Ut autem per hanc sequelam Christi in caritate Dei et proximi perficiamur, professione Ordini nostro cooptati Deo totaliter consecramur ac universæ Ecclesiæ novo modo devovemur, integræ “evangelizationi verbi Dei totaliter deputati”.⁵

¹ Ex oratione pro catechumenis feriæ VI in Parasceve.

² HONORIUS III s. Dominico, die 18-i-1221, in *MOPH (Monumenta Ordin. frat. Prædicatorum hist.)* XXV, 144.

³ *Primæ Constitutiones O.P.*, prol.

⁴ *Primæ Constitutiones O.P.*, Dist. II, c. 31.

⁵ HONORIUS III ad omnes prælatos Ecclesiæ, die 4-ii-1221, in *MOPH* XXV, 145.

§ IV. – Apostolicæ missionis participes, vitam quoque Apostolorum secundum formam a s. Dominico conceptam assumimus, vitam communem unanimiter agentes, in professione consiliorum evangelicorum fideles, in communi celebratione liturgiæ præsertim vero Eucharistiæ et officii divini atque oratione ferventes, in studio assidui, in regulari observantia perseverantes. Hæc omnia, non solum ad Dei gloriam et sanctificationem nostram conferunt, verum etiam saluti hominum directe inserviunt, cum ad prædicationem concorditer præparent ac impellant, eam informet et ab ea vicissim informentur. Quibus elementis firmiter inter se conexas, harmonice temperatis et mutuo se fecundantibus, in sua synthesisi vita propria Ordinis constituitur, vita integro sensu apostolica, in qua prædicatio et doctrina ex abundantia contemplationis procedere debent.

§ V. – Cooperatores ordinis episcopalis per sacerdotalem ordinationem effecti, ut proprium officium habemus munus propheticum, quo, prospectis hominum, temporum et locorum condicionibus, Iesu Christi Evangelium verbo et exemplo ubique nuntiatur, ut fides suscitetur vel profundius totam vitam informet in ædificationem Corporis Christi, quæ in sacramentis fidei completur.

§ VI. – Forma Ordinis, ut est societas religiosa, ex eius missione et communione fraterna oritur. Cum enim verbi et sacramentorum fidei ministratio sit officium sacerdotale, religio nostra clericalis est, cuius missionem etiam fratres cooperatores, speciali modo sacerdotium commune exercentes, pluribus rationibus participant. Deputatio quoque totalis Prædicatorum ad proclamationem Evangelii verbo et opere in hoc manifestatur, quod per professionem sollemnem vitæ et missioni Christi sunt maxime et perpetuo coniuncti.

Cum Ordo ad omnes gentes missus sit, in unione cum tota Ecclesia, characterem habet universalem. Hanc vero missionem ut aptius adimplere possit, exemptione gaudet, atque valida

unitate munitur in suo capite magistro Ordinis, cui omnes fratres professione immediate ligantur: studium enim et evangelizatio disponibilitatem omnium exigunt.

Ex eadem missione Ordinis responsabilitas et gratia personalis fratrum, speciali modo affirmantur et promoventur. Unusquisque enim frater, institutione peracta, tamquam vir maturus æstimatur, cum alios homines doceat et multiplicia munera in Ordine assumat. Qua de causa, Ordo vult quod leges propriæ non obligent ad culpam, ut fratres sapienter eas amplectantur: “non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti”.⁶

Ex fine tandem Ordinis, superior dispensandi habet potestatem “cum sibi aliquando videbitur expedire, in his præcipue quæ studium vel prædicationem vel animarum fructum videbuntur impedire”.⁷

§ VII. – Communio et universalitas religionis nostræ eius regimen quoque informant. In eo præstat participatio organica et temperata omnium partium ad proprium finem Ordinis prosequendum. Etenim, Ordo non limitatur ad fraternitatem conventualem, quamvis hæc sit cellula fundamentalis, sed dilatatur in conventuum communionem quæ provinciam constituit et in provinciarum communionem ex qua ipse constituitur. Quapropter, potestas eius, quæ quidem universalis est in capite, nempe in capitulo et magistro Ordinis, proportionaliter participatur a provinciis et conventibus, congrua cum autonomia. Consequenter, regimen nostrum suo modo communitarium est; nam superiores, per electionem a fratribus factam et a superiore altiori confirmatam, ordinarie officium consequuntur. Ac præterea, in expediendis negotiis maioris momenti, communitates multipliciter partem habent in exercitio suæ gubernationis per capitulum vel consilium.

⁶ *Regula s. Augustini*, 8.

⁷ *Primæ Constitutiones O.P.*, prol.

Quod quidem regimen communitarium idoneum est ad Ordinis promotionem et frequentem recognitionem. Nam superiores, et fratres per delegatos suos, in capitulis generalibus priorum provincialium et diffinitorum, æquo iure ac libertate, communiter provident ut missio Ordinis promoveatur et ipse Ordo congrue renovetur. Hæc continua recognitio, non solum ob spiritum perennis conversationis christianæ necessaria est, sed etiam ob propriam vocationem Ordinis quæ eum ad præsentiam in mundo unicuique generationi accommodatam impellit.

§ VIII. – Propositum fundamentale Ordinis et forma vitæ ab ipso profluens momentum suum quocumque Ecclesiæ tempore servant. Horum tamen intellegentia et æstimatio, sicut traditione nostra docemur, quam maxime urgent cum maioris mutationis et evolutionis condiciones intersunt. His in adiunctis, Ordinis est animi cum fortitudine seipsum renovare eisque sese aptare, discernendo et probando quæ in votis hominum bona et utilia sunt, eaque assumendo in immutabili harmonia elementorum fundamentalium vitæ suæ.

Quæ quidem elementa apud nos substantialiter mutari non possunt et inspirare debent formas vivendi ac prædicandi Ecclesiæ hominumque necessitatibus accommodatas.

§ IX. – Familia dominicana coalescit ex fratribus clericis et cooperantibus, monialibus, sororibus, sodalibus institutorum sæcularium atque fraternitatum sacerdotum et laicorum. Constitutiones et Ordinationes tamen quæ sequuntur solos fratres respiciunt, nisi aliud expresse caveatur; quarum præscriptis quidem ita necessariæ unitati Ordinis consulitur, quin necessaria diversitas, iuxta ipsas leges, excludatur.

DISTINCTIO PRIMA

DE VITA FRATRUM

Sectio prima. *De sequela Christi:* de consecratione religiosa; de sacra liturgia et oratione; de studio; de ministerio verbi; de habitudine fratrum ad alios cœtus Ordinis et ad consociationes.

Sectio secunda. *De institutione fratrum:* de principiis communibus; de vocationibus promovendis et excolendis; de novitiatu; de professione; de institutione post novitiatum.

SECTIO PRIMA

DE SEQUELA CHRISTI

CAPUT I

DE CONSECRATIONE RELIGIOSA

Art. I – DE VITA COMMUNI

2. — § I. – Quemadmodum ex Regula monemur, primum propter quod in unum sumus congregati, est ut unanimes habitemus in domo et sit nobis anima una et cor unum in Deo. Quæ quidem unitas, ultra limites conventus, in communionem cum provincia et toto Ordine plenitudinem suam attingit.

§ II. – Vitæ nostræ unanimitas, in caritate Dei radicata, exemplum præbere debet universalis in Christo reconciliationis quam verbo prædicamus.

3. — § I. – Sicut in Ecclesia Apostolorum, ita et inter nos communio fundatur, ædificatur et stabilitur in eodem Spiritu, in quo Verbum a Deo Patre una fide recipimus, uno corde contemplamur et uno ore collaudamus; in quo et unum corpus efficitur, qui de uno pane participamus; in quo demum omnia communia habemus et ad idem evangelizationis opus destinamur.

§ II. – Fratres per obœdientiam consentientes, per castitatis disciplinam amore altiori sociati, per paupertatem arctius ab invicem dependentes, Ecclesiam Dei, opera sua in mundo dilatan- dam in proprio conventu prius œdificent.

4. — § I. – Ut unusquisque conventus fraterna sit communi- tas, omnes se invicem acceptent et amplectantur tamquam ei- usdem corporis membra, indole quidem et munere distincta, sed in vinculo caritatis et professionis œqualia.

§ II. – Conscii responsabilitatis suæ erga bonum commune, fratres munera intra conventum libenter suscipiant et in omni- bus laboribus gaudium eis sit aliorum partes habere atque one- ratos, si quos videant, adiuvere.

5. — *Fratres libenter recreationibus communibus participant, qui- bus mutua cognitio et communio fraterna foventur.*

6. — Ut cooperatio apostolica et fraterna communio uberio- res afferant fructus, permagni interest omnium fratrum unani- mis participatio: “bonum enim quod communiter approbatur cito et facile promovetur”.¹ Propterea in omnibus conventibus colloquia habeantur de vita apostolica et regulari promovenda.

7. — § I. – *Ad vitam regularem fovendam, semel saltem in mense colloquium habeatur in quo, moderante priore vel alio fratre ab eo de- signato, omnes fratres suam mentem sincere et caritative aperire pos- sint circa argumentum prævie determinatum et tempestive adnuntia- tum de iis quæ officia et munera communitatis respiciunt.*

§ II. – *Aliquoties in anno pariter habeatur capitulum regulare in quo fratres, modo a capitulo conventuali determinato, examinent fide- litatem suam erga missionem apostolicam conventus et vitam regula- rem atque aliquam pœnitentiam faciant. Hac occasione superior ex-*

¹ HUMBERTUS DE ROMANIS , *Expositio Regulæ*, XVI in ID, *Opera de vita regulari*, ed. J.-J. BERTHIER, vol. I, 72.

hortationem circa vitam spiritualem et religiosam necnon opportunas admonitiones et correctiones facere potest.

§ III. – *Fratres qui sunt in periodo formationis colloquia et capitula habeant sub respectivis magistris, sed ad normam n. 309 § II, possunt quoque participare integre vel partialiter adunationibus totius communitatis.*

8. — *Sedulo curent superiores ut fratres ob ministerium extra conventum suæ assignationis degentes sæpe possint ad illum redire et ab aliis visitari. Communitas cum gaudio eos recipiat, enixe adiuvet et in eorum laboribus spiritu et opere partem habeat. Ipsi autem ministerium suum veluti membra communitatis exerceant ac libenter adsint adunationibus conventualibus ut in fervore apostolico ab aliis nutriantur eosque vicissim ædificare possint.*

9. — *Ad exemplum s. Dominici qui exstitit “pater et consolator infirmorum fratrum et eorum qui erant in tribulationibus”,² superior diligentem curam habeat de infirmis et cum eis, etiam non petentibus, utatur dispensationibus opportunis. Tam ipse quam omnes fratres eos sollicite visitent.*

10. — *Fratres seniores vel sanitate debiliores talem in conventu locum obtineant quo vitam communem participare possint. Apta etiam eis cura præbeatur et a cognatis amicisque visitari queant.*

11. — *Ingravescente morbo, superior, per se vel per alium, audito medici consilio, fratrem discrete moneat ut tempestive sacramenta recipere possit.*

12. — *Communitas nostra peculiari sollicitudine complectatur fratres qui tribulationibus laborant.*

² Processus canonizationis in *MOPH XVI*, 178, n. 3.

13. — *Erga illos qui defecerunt, dilectio nostra, divinæ misericordiæ confidens, benevolentia et auxiliis opportunis ostendatur.*

14. — *Hospites affabiliter recipiantur ac benigne et caritative tractentur.*

15. — § I. — Parentes et familiares fratrum debito cum honore et pietate prosequi oportet.

§ II. — Fratres grati corde preces et merita sui laboris apostolici cum benefactoribus communicent, qui de bonis sive spiritualibus sive terrenis cum eis partem faciunt ut expeditiores inveniantur in opere Evangelii.

16. — Fratres fideliter memoriam recolant illorum qui in familia s. Dominici eos præcesserunt et “conversatione exemplum, communionem consortium et intercessionem subsidium”³ eis præbent. Gesta doctrinamque illorum conspiciant et diffundant. Suffragia insuper non desint defunctis fratribus.

Art. II – DE OBÆDIENTIA

17. — § I. — Initio Ordinis, s. Dominicus a fratribus postulabat ut sibi promitterent communitatem et obædientiam.⁴ Sese humiliter submittebat⁵ dispositionibus, præsertim legibus, quas habita plena deliberatione⁶ capitulum generale fratrum statuebat. Extra capitulum generale vero, obædientiam voluntariam⁷

³ Constitutio Vat. II *Lumen gentium*, 51.

⁴ *Primæ Constitutiones O.P.*, Dist. I, c. 13.

⁵ Processus canonizationis in *MOPH XVI*, 151, n. 33; cf. 124, n. 2.

⁶ IORDANUS, *Libellus* in *MOPH XVI*, 46, n. 41.

⁷ *Primæ Constitutiones O.P.*, Dist. I, c. 13.

ab omnibus exigebat benigniter⁸ sane, sed corde constanti,⁹ in his quæ Ordinem gubernans post dignam deliberationem¹⁰ ipse præcipiebat. Communitas quidem, ut in spiritu et missione sua fideliter permaneat, principio unitatis indiget quod per obœdientiam obtinet.

§ II. – Propterea in professione nostra unica promissio exprimitur, nempe obœdientiæ magistro Ordinis et successoribus eius, secundum leges Prædicatorum et ita unitas Ordinis et professionis servatur quæ ab unitate capitis cui omnes obœdire tenentur dependet.

18. — § I. – Per hanc autem professionem modo speciali Christum imitamur qui voluntati Patris semper fuit subditus pro vita mundi, et ita arctius coniugimur Ecclesiæ, ad cuius ædificationem una cum fratribus sub ductu superiorum, humano ministerio vices Dei gerentium, devovemur ad bonum commune Ecclesiæ et Ordinis.

§ II. – Hoc bonum commune nobis etiam manifestatur religionis ac apostolicis exoptationibus communitatis atque interna illustratione Spiritus Sancti missionem Ordinis adiuvantis.

§ III. – Fratres nostri obœdire tenentur suis superioribus in omnibus quæ pertinent ad Regulam (cf. n. 275 § I) et leges nostras. Non autem tenemur, immo nec possumus obœdire in his quæ sunt contra præcepta Dei et Ecclesiæ vel contra leges Ordinis vel quæ dispensationem superioris non admittunt; in dubiis vero tenemur omnes obœdire.

19. — § I. – Inter consiliorum vota eminent obœdientia, qua persona ipsa totaliter se Deo devovet, et cuius actus fini professionis qui est caritatis perfectio propinquiores existunt: per

⁸ Processus canonizationis in *MOPH XVI*, 127, n. 6; 150, n.32; 163, n. 43; 142, n. 24; 143, n. 25; 166, n. 48.

⁹ IORDANUS, *Libellus* in *MOPH XVI*, 74, n. 103.

¹⁰ *Ibidem*.

quam denique, omnia alia quæ ad vitam apostolicam pertinent simul accipiuntur.

§ II. – Quoniam autem per obœdientiam Christo et Ecclesiæ coniungimur, quidquid laboris et mortificationis in eius adimplerione sustinemus veluti protractio est oblationis Christi et rationem sacrificii obtinet tum pro nobis cum pro Ecclesia in cuius consummatione totum creationis opus impletur.

§ III. – Obœdientia qua “nosmetipsos in corde superamus”¹¹ maxime prodest ad interiorem illam consequendam libertatem quæ est propria filiorum Dei et nos ad donationem in caritate disponit.

20. – § I. – Boni communis exigentia qua fratres obœdire tententur, superiores libenter eos audiant et præcipue in rebus maioris momenti cum eis opportune consilia conferant, firma tamen sua auctoritate præcipiendi quæ agenda sunt. Sic tota communitas velut unum corpus in finem communem caritatis se dirigere potest.

§ II. – Cum autem Spiritus Sanctus specialibus quoque talentis et charismatibus Ecclesiam dirigat, superiores in auctoritatis exercitio diligenter fratrum peculiaria dona conspiciant, atque iudicent et ordinent quæ a Spiritu Sancto in Ordine pro tempore et necessitate ad bonum Ecclesiæ suscitantur. Ideo tum in muneribus obeundis tum in inceptis suscipiendis, intra limites boni communis et secundum cuiusque indolem, congrua responsabilitas fratribus agnoscatur et libertas concedatur.

§ III. – Superior de voluntate Dei et de bono communitatis inquirens “non se existimet potestate dominante sed caritate serviente felicem”¹² et liberum officium non servilem subiectionem promoveat.

¹¹ S. GREGORIUS, *Moral.* XXXV, P.L. 76 c. 765, in s. THOMA DE AQ., *Summa theol.*, II-II, q. 104, a. 1.

¹² *Regula s. Augustini*, 7.

§ IV. – Fratres vero in spiritu fidei et amoris erga Dei voluntatem atque in fraternæ cooperationis animo superioribus suis respondentes, sincera mente cum eis sentire conentur et active et considerate impleant quæ eis præcipiuntur. In officiis præstandis, obœdientiam habere studeant promptam ac diligentem absque dilatione et simplicem absque inutili inquisitione.

21. — Universus Ordo noster veluti religiosi omnes tamquam supremo Superiori subduntur Romano Pontifici cui obœdire tenentur etiam vi voti obœdientiæ (CIC 590).

22. — § I. – *Fratres nostri ab inferiori auctoritate ad superiorem leviter non confugiant pro evasione cuiusvis impositæ obœdientiæ. Quod si fecerint, recursus non admittatur.*

§ II. – *Si vero recursus rationabili de causa fiat frater prius obœdiat nisi collato consilio cum gravioribus personis, eiusdem fratris ac superioris consensu selectis, constet grave damnum ex obœdientia secuturum.*

23. — *Si ad bonum Ordinis vel Ecclesiæ necessarium sit ut fratri etiam cum notabili vitæ periculo a superioribus aliqua missio concedatur hoc tamen numquam fiat eo inconsulto. Tunc superior magna cum prudentia procedere tenetur habitis informationibus et audito voto fratrum discretorum.*

24. — *Prior provincialis aut capitulum provinciale non potest ul- lum fratrem omnino a subiectione erga superiorem localem eximere.*

Art. III – DE CASTITATE

25. — Fratres, castitatem “propter regnum cælorum” promittentes, sequantur vestigia s. Dominici qui virginitatem Dei amore tota vita illibatam servans, ita animarum amore et zelo flagrabat, quod “omnes homines largo excipiebat caritatis sinu

et, cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur, se totum in proximorum curam atque miserorum compassionem effundens".¹³

26. — § I. — Professionem itaque castitatis tamquam eximium gratiæ donum æstimare debemus, quo Deo facilius indiviso corde adhæremus et intimius consecramur; atque vitam virginalem Christi imitantes, qui amore Ecclesiæ tradidit semetipsum pro ea, vocatione nostra apostolica compulsi, Ecclesiæ, ad pleniorum hominum amorem, totaliter dedicamur, et operi regenerationis æternæ ministrantes, aptiores efficimur qui paternitatem in Christo latius accipiamus.

§ II. — Castitatis exercitio, efficacius quoque cordis purificationem, spiritus libertatem et caritatis fervorem paulatim assequimur, et altius propterea, animi et corporis dominium integræque personæ pleniorum profectum, quibus serenum atque salutiferum commercium cum omnibus hominibus perficere possumus.

§ III. — Casta insuper vita quam fratres profitentur, regni Dei iam nunc præsentis validum servitium et præclarum testimonium constituit, atque insimul peculiare signum existit adventuri regni cælestis in quo Christus gloriosam Ecclesiam sicut sponsam sibi ornatam exhibebit.

27. — § I. — Ad professionem castitatis in Ordine adspirantes, officia et dignitatem matrimonii debite agnoscant, quod amorem inter Christum et Ecclesiam repræsentat; et intelligant Dei gratia seipsos ad altiorum manifestationem eiusdem amoris esse vocatos.

§ II. — Cum autem observantia perfectæ continentiæ profundiores naturæ humanæ inclinationes intime attingat et cum in Ordine nostro sit condicio ad ministerium apostolicum fruc-

¹³ IORDANUS, *Libellus* in *MOPH XVI*, 76, n. 107.

tuose exercendum, necesse est ut fratres progressive maturitatem physicam, psychicam et moralem acquirant.

§ III. – Decursu evolutionis necessariæ ad castitatem profundius et firmius radicandam, fratribus præbeantur positiva institutio et apta subsidia, humana simul ac divina, ut ipsi difficultatibus et periculis feliciter superatis ad naturalem et supernaturalem integrationem totius vitæ affectivæ pervenire queant.

28. – § I. – Fratres nostri in continentia, non obstantibus discriminiibus decursu vitæ obventuris, fideliter perseverare et indefesse proficere studentes, intimam communicationem cum Deo per amicabilem unionem cum Christo, in omnibus vitæ adiunctis procurent, eamque Sacra Scriptura et Eucharistiæ mysterio nutriant. Filiali quoque amore et devotione roborentur erga Dei Genetricem B.V. Mariam.

§ II. – Urgentiori pariter in dies Christi caritate, universali nempe divina amicitia, seipsos in apostolico ministerio omnibus omnia faciant; atque in communi vita religiosæ et apostolicæ familiæ, cui per castitatem arctiori vinculo uniuntur, dilectionem fraternam serenamque amicitiam colant.

§ III. – Propriæ fragilitatis conscii, fratres de suis viribus non præsumant, sed mortificationem ac sensuum affectionumque custodiam adhibeant absque timore tamen vel pusillanimitate, et dum humaniter cum omnibus sese gerunt, omnia quæ castitatem in periculum adducunt, instinctu quodam spirituali respuant.

§ IV. – Mediis quoque naturalibus opportune utantur quæ ad mentis et corporis sanitatem necessaria vel convenientia sint.

29. – Omnes fratres, præcipue vero superiores, communione fraterna permoti nostrates qui difficultatibus laborant circa castitatem, maximæ caritatis significationibus adiuvent, sincera

scilicet benevolentia, precibus, animadversionibus, cunctisque aliis prudentibus et efficacibus auxiliis.

Art. IV – DE PAUPERTATE

30. — Æmulantes Apostolos qui sine auro, argento vel pecunia annuntiabant regnum Dei, s. Dominicus et fratres eius, secundum exigentias apostolatus sui temporis, proposuerunt non habere possessiones nec redditus neque pecuniam et, dum prædicarent verbum evangelicum, mendicare quotidie panem communitatis. Hæc fuit paupertas apostolica in initio Ordinis, cuius spiritu et nos animari oportet, secundum formas diversis temporibus et regionibus accommodatas.

31. — § I. – Auscultantes Domino dicenti: “Vade, vende quæ habes et da pauperibus et veni, sequere me”,¹⁴ decrevimus pauperes esse et re et spiritu, ut, dum homines a divitiarum dominatu eripere conamur et ad superna bona convertere, simus ipsi de cupiditate victores per conformitatem cum Christo “qui propter nos egenus factus est ut illius inopia nos divites essemus”.¹⁵

§ II. – Ille spiritus paupertatis urget nos ad reponendum thesaurum nostrum in iustitia regni Dei, vivida cum fiducia in Domino. Est libertas a servitute, immo a sollicitudine rerum mundanarum ut plenius adhæreamus Deo, expeditius vacemus Deo, audacius loquamur de Deo. Ideo est parcitas erga nos, quæ intimius nos sociat pauperibus evangelizandis; sed est etiam liberalitas erga fratres et proximos cum pro regno Dei, præsertim pro necessitatibus studii et ministerii salutis, libenter

¹⁴ Mt 19, 21.

¹⁵ 2 Cor 8, 9.

expendimus facultates “ut in omnibus quibus utitur transitoria necessitas superemineat quæ permanet caritas”.¹⁶

32. — § I. — Ideo professione nostra promittimus Deo nihil possidere iure proprietatis personalis sed omnia habere communia, atque eis uti ad bonum commune Ordinis atque Ecclesiæ sub ordinatione superiorum.

§ II. — Quapropter nemo ex fratribus bona, vel pecuniam, vel proventus quocumque modo ei obvenientia tamquam propria retinere potest sed omnia tradat communitati.

§ III. — Sed neque in ipsa communitate admittatur cumulus bonorum communium quæ non inserviant fini Ordinis seu ministerio eiusdem eo quod adversantur paupertati quam omnes singillatim et ut membra communitatis professi sunt.

33. — Cum paupertas tot hominibus necessitatem laboris strenui imponat pro victu tenui, fratres nostri efficax testimonium collectivum reddant, coram populo, impigre laborando in munere suo apostolico, sobrie vivendo de stipendio plerumque incerto et libenter de suis bonis pauperioribus communicando.

34. — § I. — *Fratres caveant a novitatibus vel commoditatibus vitæ conquirendis, sed in omnibus et ubique sobriam vitam ducant.*

§ II. — *Provinciæ, perspectis temporis, regionum, personarum vel ministeriorum adiunctis, modum servoandi paupertatem, iuxta normas generales et spiritum Ordinis, determinare possunt.*

35. — Superiores et syndici de communi ita sollicite procurant veris et iustis fratrum necessitatibus subvenire, ut vita privata maneat prorsus exclusa.

¹⁶ *Regula s. Augustini, 5.*

36. — Cum “in necessitatibus diei præsentis oporteat unumquemque aliquando occupari”¹⁷ religiosa paupertas postulat ut cuncti fratres conscii sint responsabilitatis suæ erga vitam œconomicam conventus (cf. nn. 576–577).

37. — Conventus nostri, quacumque superfluitate et specie ostentationis devitatis, simplices sint et suo fini apti atque ita secundum mores loci et temporis disponantur ut nemini offensam præbeant.

38. — § I. — *Libros quosdam et instrumenta varia ad usum personalem fratres tenere possunt, sed moderate et secundum determinationes capituli provincialis.*

§ II. — *Quando fratres in alium conventum assignantur, ea tantum secum afferre possunt quæ in determinationibus capituli provinciæ et statuto provinciali prævisa sunt.*

Art. V – DE OBSERVANTIA REGULARI

39. — Observantia regularis a s. Dominico ex traditione assumpta vel ab eo innovata, conversationem nostram ita ordinat ut in proposito pressius sequendi Christum adiuvemur et vitam apostolicam efficacius perficere possimus. Ut ergo in nostra vocatione fideles permaneamus regularem observantiam plurimi mente faciamus, corde perdiligamus ac opere adimplere conemur.

40. — Ad regularem observantiam omnia elementa pertinent quæ vitam dominicanam constituunt et per disciplinam communem ordinant. Inter hæc autem eminet vita communis, celebratio liturgiæ et oratio secreta,¹⁸ votorum impletio, studium assiduum veritatis et ministerium apostolicum, ad quorum fide-

¹⁷ *Primæ Constitutiones O.P.*, Dist. II, c. 31.

lem adimpletionem nos adiuvant clausura, silentium, habitus et opera pœnitentiæ.

41. — Ut fratres nostri melius contemplationi et studio vacare possint, ut intimitas quoque familiæ augeatur et ut fidelitas ac indoles vitæ nostræ religiosæ manifestentur, clausura in conventibus nostris servanda est.

42. — *Quoad egressum omnes fratres licentia superioris indigent quæ pro determinato proposito generalis esse potest.*

43. — *Ad longum iter vel absentiam prolongatam frater licentia competentis superioris indiget iuxta determinationes statuti provinciæ.*

44. — *vacat.*

45. — § I. — *Frater per aliquod tempus moraturus in territorio alterius provinciæ, tempestive moneat respectivum priorem provinciam, salvo semper n. 137. Ut vero commoratio licite ultra tres menses extendatur, licentia dicti prioris provincialis indiget. [♦ T 338 ♦♦ K 317]*

§ II. — *In locis ubi conventum habemus, frater itinerans pro posse conventum adeat.*

45-bis. — *Si quis frater illegitime extra suum conventum ultra annum manserit, prior provincialis cum suo consilio discernet de oportunitate procedendi iuxta CIC 696, 697 et 699.*

46. — § I. — *Silentium diligenter a fratribus servetur maxime in locis ac temporibus orationi et studio destinatis; est enim totius observantiæ præsidium et confert præsertim interiori vitæ*

¹⁸ HUMBERTUS DE ROMANIS, *Opera de vita regulari*, ed. J.-J. BERTHIER (Roma, 1888), vol. I, 153, 170 et 172. Cf. Mt 6, 5–6.

religiosæ, paci, orationi, studio veritatis et sinceritati prædicationis.

§ II. – Silentium in spiritu caritatis ita ordinari debet ut fructuosas communicationes non impediatur.

47. — *vacat.*

48. — *Determinationes quoad silentium a capitulo provinciali et conventuali faciendæ sunt quantum ad tempora et loca secundum traditionem Ordinis.*

49. — § I. – *Mensa fratrum sit frugalis, sufficiens tamen pro eorum necessitatibus.*

§ II. – *Omnes fratres legitime non impediti in communi mensa comedant.*

§ III. – *Præter præscripta auctoritatis ecclesiasticæ competentis, attendente traditione Ordinis, capitulum provinciale determinet formas et tempora ieiunii et abstinentiæ; capitulum vero conventuale austeritates propriæ communitatis, præsertim pro tempore Quadragesimæ, statuat.*

50. — *Habitus Ordinis ex tunica alba cum scapulari et caputio albis constat, cum cappa et caputio nigris et cingulo ex corio cum rosario (cf. appendicem n. 3).*

51. — *Fratres in conventibus nostris habitum Ordinis, utpote signum nostræ consecrationis, deferant, nisi iusta de causa aliter prior provincialis determinaverit. Extra conventum, salvois legibus ecclesiasticis, servetur dispositio prioris provincialis.*

52. — § I. – *Consecratione religiosa atque apostolica vocatione fratres præ ceteris fidelibus urgentur ut seipsos abnegent, crucem suam tollant et mortificationem Iesu in corpore et ani-*

mo circumferant, et ita resurrectionis gloriam sibi et aliis hominibus mereantur.

§ II. – Ad imitationem s. Dominici “qui dum in carne viveret spiritu ambulabat, desideria carnis non solum non perficiens sed extinguens”,¹⁹ fratres pœnitentiæ virtutem præsertim exercent omnia fideliter adimplendo quæ ad vitam nostram pertinent.

53. – § I. – *Capitulorum provincialium et conventualium est pro variis locorum et personarum adiunctis novas pœnitentiæ formas ex hodierno vivendi modo adsumptas statuere, præsertim pro tempore Adventus et Quadragesimæ.*

§ II. – *Singuli fratres alia quoque opera mortificationis adiungant ut plenius pœnitentiæ officium adimpleant.*

54. – Ad observantiam regularem et ad salutarem emendationem fratrum fovendam, correctiones fieri possunt a superioribus, moderatoribus centrorum studiorum et magistris fratrum formandorum.

55. – § I. – *Quantitas transgressionis præcipue secundum læsionem boni communis, non secundum peccatum forsan adnexum pensanda est.*

§ II. – *Præcipuæ pœnitentiæ sunt: aliquas exercitationes spirituales perficere, quasdam mortificationes seu privationes subire, aliqua opem ad communem utilitatem peragere.*

¹⁹ Litt. Encycl. b. IORDANI, an. 1233, in AFP 22 (1952), 183.

CAPUT II

DE SACRA LITURGIA ET ORATIONE

56. — Fratres exemplum sequantur s. Dominici qui in domo et in itinere, die ac nocte, assiduus erat in officio divino et in oratione atque magna cum devotione mysteria divina celebrabat.

Art. I — DE SACRA LITURGIA

57. — Ipsa voluntate s. Dominici, sollemnis et communis liturgiæ celebratio inter præcipua munera vocationis nostræ habenda est.

In liturgia, maxime in Eucharistia, præsens operatur mysterium salutis, quod fratres in ea participant et contemplantur atque in prædicatione hominibus adnuntiant ut per sacramenta fidei Christo incorporentur.

In ea, una cum Christo, fratres Deum glorificant pro æterno proposito voluntatis eius ac mirabili dispensatione gratiæ, et Patrem misericordiarum interpellant pro universa Ecclesia necnon pro necessitatibus ac salute totius mundi. Ideoque liturgiæ celebratio centrum est et cor totius vitæ nostræ, cuius unitas præsertim in ipsa radicatur.

58. — Missam conventualem et officium divinum fratres publice celebrare debent; et, cum liturgia sit actio totius populi Dei, fovenda est participatio fidelium in celebrationibus nostris.

59. — § I. — Celebratio Missæ conventualis centrum sit liturgiæ communitatis. Etenim Memoriale mortis et resurrectionis Domini est vinculum caritatis fraternæ et fons primus virtutis apostolicæ.

§ II. – Quapropter præstat ut Missa conventualis sit celebrata, quia in ea unitas et ministerii sacerdotalis et communitatis aptius significatur.

§ III. – Omnibus presbyteris commendatur quotidiana celebratio Sacrificii eucharistici, quæ, etiamsi non habeatur populi fidelis præsentia, est actus Christi et Ecclesiæ.

§ IV. – Fratres non presbyteri quotidie missam participant.

60. – Ad conversionem totius vitæ per virtutem pænitentiae fovendam fratres frequenter peragant sacramentalem confessionem.

61. – § I. – In communitatibus nostris quotidie in choro Missa conventualis et officium divinum celebrari debent.

§ II. – Ubi ex legitimo impedimento, quod si habituale sit a priore provinciali cum suo consilio agnoscitur, Missæ conventualis et totius officii celebratio communis haberi nequit, saltem laudes et vesperæ celebrentur.

§ III. – Quando iusta de causa liturgia horarum in choro celebrari nequit, alio in loco apto persolvatur, specialiter ita ut fideles orationi liturgicæ fratrum active participare possint.

62. – § I. – Cursus Horarum in qualibet communitate ita disponatur ut per illarum celebrationem varia diei tempora revera sanctificentur, ratione habita condicionum vitæ apostolicæ.

§ II. – Laudes ut preces matutinæ et vesperæ ut preces vespertinæ, duplex cardo officii quotidiani, horæ præcipuæ habendæ sunt et ita celebrandæ.

63. – Omnes fratres ad Missam conventualem et liturgiam horarum in choro celebrandam tenentur; singuli autem communitatis obligationis conscientiam habeant.

Qui vero celebrationi communi interesse non valent, dicant in privato officium divinum si sunt sollemniter professi. Dicant saltem laudes et vesperas, si sunt simpliciter professi.

64. — *vacat.*

65. — Convenit ut saltem aliqua pars officii divini cantetur, præsertim ea elementa quæ ex sua indole specialiter cantum requirunt.

Celebrationes autem nostræ simplicitate et sobrietate præsentent.

Art. II – DE ALIIS FORMIS ORATIONIS

66. — § I. – Cum contemplatio divinorum et intimum colloquium ac familiaritas cum Deo non tantum in celebrationibus liturgicis et in lectione divina, sed etiam in assidua oratione secreta quærenda sint, hanc orationem fratres sedulo colant.

§ II. – Omnes fratres quotidie saltem per mediam horam orationi mentali vacent, tempore a capitulo conventuali determinato, et in quantum fieri potest, in communi.

67. — § I. – Fratres Christum in mysterio eucharistico colant ut ex hoc admirabili commercio hauriant fidei, spei et caritatis augmentum.

§ II. – Fratribus cordi sit traditionalis in Ordine devotio erga Deiparam Virginem, Apostolorum Reginam atque exemplum meditationis verborum Christi et docilitatis in propria missione.

Quotidie recitent quinque decades rosarii in communi vel privatim, iuxta determinationem capituli provincialis et servata congrua ordinatione ad liturgiam. Hæc precandi forma in con-

templationem nos ducit mysterii salutis, in quo Virgo Maria cum Filii sui opere intime coniungitur.

§ III. – Fratres foveant veram devotionem et cultum erga s. Dominicum, vitæ nostræ speculum, et sanctos Ordinis, ut ad eorum imitationem excitentur et in spiritu suæ vocationis roborentur.

68. — Omnes fratres quotannis per sex integros dies exercitiis spiritualibus vacent, verbum Dei conferentes in corde suo et instantius orantes.

69. — *Preces in mensa dicendæ a capitulo provinciali vel a priore provinciali de consensu sui consilii determinentur.*

Art. III – DE SUFFRAGIIS PRO DEFUNCTIS

70. — § I. – A Commemoratione omnium defunctorum usque ad Adventum Domini, pro fratribus, sororibus, familiaribus et benefactoribus defunctis quilibet presbyter celebret unam Missam et fratres non presbyteri unam participant Missam.

§ II. – In singulis conventibus celebretur Missa defunctorum: die 7 februarii pro anniversario patrum et matrum; die 5 septembris pro anniversario benefactorum et familiarium Ordinis; die 8 novembris pro anniversario fratrum et sororum.

71. — § I. – *Semel in hebdomada, in unoquoque conventu proprie dicto, Missa conventualis celebretur pro eisdem defunctis, in qua dicatur oratio fidelium cum supplicationibus pro defunctis. Ubi autem Missa conventualis haberi nequit (cf. n. 61 § II), una Missa applicetur pro eis.*

§ II. – *Excipiuntur Hebdomada Sancta, Paschæ, et illa in qua incidit Nativitas Domini; excipiuntur pariter hebdomadæ in quibus*

propter anniversarium (n. 70 § II) vel obitum fratris (n. 73) aut Summi Pontificis (n. 74) Missa defunctorum celebratur.

§ III. – Semel in hebdomada pro eisdem defunctis quinque decades rosarii ab omnibus fratribus recitentur.

72. — *Semel saltem in die a fratribus recitetur in communi psalmus De profundis pro fratribus et benefactoribus defunctis.*

73. — *In morte cuiuslibet fratris:*

§ I. – Conventus ubi moritur et conventus cui frater erat assignatus celebrent pro eo officium et Missam defunctorum.

§ II. – In tota provincia affiliationis:

1° quilibet presbyter et quilibet conventus celebrent unam Missam;

2° quilibet frater non presbyter participet unam Missam.

Idem fiat in conventu assignationis, si frater extra provinciam affiliationis assignatus fuerit.

§ III. – In toto Ordine:

1° in morte magistri Ordinis quilibet presbyter celebret unam Missam, quilibet frater non presbyter participet unam Missam;

2° in morte magistri et ex-magistri Ordinis quilibet conventus celebret Missam defunctorum.

74. — *In morte Summi Pontificis quilibet conventus celebret Missam defunctorum.*

75. — *Præter suffragia supra dicta, a capitulo provinciali alia præscribi possunt.*

CAPUT III

DE STUDIO

Art. I – DE MOMENTO ET FONTIBUS STUDII

76. — S. Dominicus, in hoc non parum innovans, studium ad ministerium salutis ordinatum in proposito sui Ordinis intime inclusit.²⁰ Ipse, qui Evangelium s. Matthæi et Epistolas s. Pauli semper secum ferebat,²¹ fratres duxit ad scholas²² et misit in maiores civitates “ut studerent, et prædicarent et conventum facerent”²³.

77. — § I. – Ideoque “studium nostrum ad hoc principaliter ardentereque summopere debet intendere ut proximorum animabus possimus utiles esse”.²⁴

§ II. – Per studium fratres in corde recogitant multi formem sapientiam Dei et ad servitium doctrinale Ecclesiæ ac omnium hominum se præparant; eoque magis studio se devoveant oportet quod ex Ordinis traditione specialius vocantur ut hominum propensionem ad veritatem excolant.

§ III. – Opus huiusmodi secundum diversas cuiusque materiæ exigentias peragi debet atque firmam disciplinam omniumque virium applicationem requirit.

78. — Studii nostri lumen et fons Deus est qui multifarie multisque modis olim locutus, novissime loquitur in Christo,

²⁰ *Primæ Constitutiones O.P.*, prol.

²¹ Processus canonizationis in *MOPH XVI*, 147, n. 29.

²² HUBERTUS DE ROMANIS, *Legenda s. Dominici* in *MOPH XVI*, 400, n. 40.

²³ Processus canonizationis in *MOPH XVI*, 143–144, n. 26; cf. IORDANUS, *Libellus* in *MOPH XVI*, 50, n. 51.

²⁴ *Primæ Constitutiones O.P.*, prol.

per quem mysterium voluntatis Patris, misso Spiritu, plene revelatur in Ecclesia et omnium hominum mentes illuminantur.

79. — Divinam revelationem, cuius Traditio et Sacra Scriptura unum sacrum depositum constituunt, fratres meditentur et scrutentur atque ex eiusdem œconomiae perenni valore pædagogico addiscant multipliciter viarum Evangelii discernere, etiam in rebus creatis, in operibus et institutionibus humanis, necnon in diversis religionibus.

80. — Fratres in omnibus sentiant cum Ecclesia atque obsequium præstent multiplici exercitio Magisterii cui concredita est interpretatio authentica verbi Dei; fideles insuper missioni Ordinis, Magisterio in munerum doctrinalium expletione speciali cum deditioe sociam operam præbere semper sint parati.

81. — Fratres attente studeant scriptis sanctorum Patrum et egregiorum mentis christianæ testium qui ope diversarum culturarum et sapientiæ philosophorum laboraverunt ad verbum Dei plenius intellegendum.

Horum reflexionem prosequentes, ad vivam Ecclesiæ traditionem reverenter attendant, dialogum cum sapientibus quærant et ad contemporaneas sive inventiones sive quæstiones animi pandant.

82. — In hoc munere adimplendo, optimus magister et exemplar est s. Thomas cuius doctrinam Ecclesia singulariter commendat et Ordo suscipit tamquam patrimonium quod fecundum exercet influxum in vitam intellectualem fratrum eique proprium characterem confert.

Quapropter fratres cum scriptis et mente ipsius actuosam colant communionem et secundum necessitates temporum, legitima cum libertate, eius doctrinam renouent et locupletent divitiis semper novis sacrae humanæque sapientiæ.

83. — Studium assiduum contemplationem nutrit, adimplentionem consiliorum lucida fidelitate fovet, sua ipsa constantia et arduitate asceseos formam constituit, atque excellens est observantia ut pote totius vitæ nostræ elementum essentielle.

Art. II – DE PROMOTIONE STUDII

84. — Fratres perseveranter studio incumbant et in illo promovendo omnes se socios et sibi invicem debitores agnoscant; talis mutua cooperatio efficacius fiet si idoneis institutionibus ordinetur.

85. — § I. — *Fratres scientias præsertim sacras colant, attendentes non tantum ad ministerium immediate præparandum sed etiam ad propriam culturam perficiendam.*

§ II. — *Ad hunc finem assequendum, oportet, statutis temporibus, reservare aliquas periodos intensiori studio destinatas.*

86. — § I. — *Propter continuum progressum culturæ atque complexitatem problematum, necesse est ut altioribus investigationibus aliqui fratres specialiter addicantur, præsertim professores, sive in centris Ordinis, sive in aliis.*

§ II. — *Hi fratres condiciones habeant aptas ad laborandum cum peritis earundem et affinium disciplinarum, ac iusta libertate inquirendi, discutiendi, et communicandi fruantur in fidelitate erga Ordinem et Ecclesiam.*

§ III. — *Si difficultates doctrinales exoriantur atque controversia non superetur, fratres audiantur a Superioribus, auxiliantibus peritis ex utraque parte designatis et utrique parti acceptis, caritate fraterna servata, salvo semper iure recurrenti ad superiores maiores.*

87. — Superiores plurimi faciant studium et illud intense promoveant, atque curent ut omnes fratres habeant media et opportunitatem studendi.

88. — § I. — *Ad priorem conventualem præcipue pertinet:*

1° *providere ut cum professoribus conventuum studiorum aut aliis peritis sive Ordinis sive extraneis, frequentia opportuna, habeantur collationes et communia colloquia circa quæstiones doctrinales, eas speciatim quæ ministerium fratrum respiciunt;*

2° *curare cum lectore conventuali et bibliothecario ut bibliotheca instructa sit libris necessariis, et pecuniæ summa sufficiens quotannis impendatur ad illam locupletandam.*

§ II. — *Habeatur lector conventualis studiorum qui superiorem in vita intellectuali communitatis fovenda adiuvet, nisi ipse superior hoc munere fungatur.*

89. — § I. — *Ad priorem provincialem præcipue pertinet:*

1° *curare ut in planificatione, de qua infra n. 107, debita attentio præbeatur exigentiis vitæ intellectualis et apostolatus doctrinalis, salvis iis quæ de formatione fratrum dicuntur n. 226;*

2° *cooperari cum magistro Ordinis in promovenda missione doctrinali Ordinis;*

3° *promovere collaborationem inter conventus et fratres suæ provinciæ necnon cum aliis provinciis præsertim finitimis;*

4° *fovere fratrum participationem sessionibus studiorum, secundum congruentiam officii vel ministerii eorum;*

5° *in visitatione canonica curare de recta observantia eorum quæ de studio præcipiuntur, speciatim de statu bibliothecarum;*

6° *quolibet anno cum suo consilio statuere summas pecuniæ necessarias ad studiorum promotionem.*

§ II. — *In hoc munere adjuvatur a commissione de vita intellectuali provinciæ. Membra huius commissionis sunt regens*

studiorum qui est eius præses, moderator centri studiorum institutionalium, promotor formationis permanentis et alii qui eliguntur iuxta modum in statuto provinciali determinatum. Huius commissionis, sub auctoritate prioris provincialis est:

1° consilium prævium dare in rebus maioris momenti ad studia pertinentibus;

2° rationem particularem provinciæ proponere et applicare;

3° centrorum studiorum provinciæ activitates coordinare;

4° quotannis rationem reddere in consilio provinciæ de vitæ intellectualis statu in provincia.

§ III. – Adiuvatur etiam a promotore provinciali formationis permanentis, a capitulo designando, cui munera et dedicatio ab ipso capitulo præscribentur.

§ IV. – Pro vicariatibus provinciæ, modus analogus ad studium promovendum in statuto ipsorum stabiliatur.

90. — § I. — *Ad magistrum Ordinis præcipue pertinet:*

1° *providere ut Ordo universus, per studium assiduum necessitatibus temporum aptatum, missionem suam adimpleat;*

2° *constituere et promovere illa centra altioris studii quæ, propter exigentias laboris vel muneris, sub ipsius cura immediata esse debent;*

3° *collaborationem inter provincias stimulare et, pro opportunitate, favere erectioni conventuum studiorum vel centrorum pluribus provinciis communium.*

§ II. — *In his omnibus peragendis magister Ordinis a socio negotiis de vita intellectuali addicto necnon a commissione permanenti de promotione studii in Ordine adiuvatur.*

91. — § I. — *Etsi in quolibet conventu vita intellectualis florescere debeat, habeantur tamen centra ubi fratres peculiari modo studio se consecrent.*

§ II. – Centrum studiorum in Ordine est communitas fratrum qui studio pleno tempore et modo stabili incumbunt; constat ad minus ex tribus fratribus, debitis qualificationibus præditis; apta bibliotheca et alii subsidiis laboris, sicut etiam fontibus œconomicis stabilibus dotata sit.

§ III. – Centrum potest esse pars alterius communitatis, scilicet conventualis. Potest numerare inter membra sua fratres ex aliis conventibus.

§ IV. – Iura et obligationes cuiuslibet centri studiorum provinciæ, et etiam modus quo regitur, in Ratione studiorum particulari provinciæ includitur, et cum illa adprobatur.

§ V. – Centra studiorum Ordinis polleant valore vere scientifico et relationes habeant cum similibus institutis et mundo universitario regionis.

92. — Inter centra studiorum quæ in provincia habeantur, præcipua sunt:

1° centrum studiorum institutionalium, quod est communitas studentium et professorum Ordinis ordinarium studiorum curriculum, præcipue philosophicum et theologicum, secundum traditionem Ordinis peragens;

2° centrum studiorum superiorum, quod est communitas fratrum qui institutiones, in quibus cursus academici saltem ad gradum licentiæ docentur, gerunt; tales sunt facultates ecclesiasticæ et universitates quæ sunt ipsius Ordinis vel sub eius cura positæ sunt, vel quarum fratrum est pars constitutiva;

3° centrum studiorum specialium, quod est communitas fratrum qui investigationibus et publicationibus et programmatis in aliqua materia speciali, etiam sine activitate didactica, incumbunt;

4° centrum formationis permanentis, quod est communitas fratrum qui omnia quæ ad formationem permanentem, præ-

ertim illorum qui ministerium in Ecclesia exercent, respiciunt, investigant et programmata apta vel præparant vel præbent.

92-bis. — § I. — Moderator cuiuslibet centri studiorum nominatur modo in statuto provinciæ determinando.

§ II. — Moderatorium seu cœtus officialium maiorum cuiuslibet centri determinatur secundum statutum ipsius centri, salva § I.

§ III. — Relatio inter moderatorium cuiuslibet centri et regentem studiorum, ut præsidem commissionis de vita intellectuali provinciæ, in ratione studiorum particulari provinciæ determinatur.

93. — § I. — Adsit in omni provincia regens studiorum qui, sub auctoritate prioris provincialis et cum consilio commissionis pro vita intellectuali provinciæ, secundum Statutum provinciæ:

1° promoveat et coordinet, ut præses commissionis pro vita intellectuali provinciæ, totam vitam intellectualem provinciæ;

2° specialem curam habeat de centro studiorum institutionalium provinciæ, et curet ut in ipso Ratio studiorum provinciæ et alia legislatio Ordinis servetur;

3° collaboret in impletione programmatis pro formatione permanenti a commissione pro vita intellectuali provinciæ statuti;

4° collaboret cum lectoribus conventualibus in promotione studii in conventibus provinciæ;

5° adiuvet alia centra studiorum in provincia, secundum propria statuta, et collaborationem inter illa et cum centro studiorum institutionalium provinciæ foveat;

6° adiuvet priorem provincialem in quæstionibus doctrinalibus solvendis;

7° curet de planificatione vitæ intellectualis provinciæ et de præparatione specialistarum ab ea et a centris studiorum Ordinis requisitorum;

8° quotannis magistro Ordinis rationem reddat.

§ II. – Ut quis ad officium regentis nominari possit requiritur ut:

1° titulo academico præditus sit, qualis requiritur pro professoribus centri studiorum superiorum;

2° experientiam aliquam docendi, præsertim in disciplinis theologis vel philosophicis, habeat;

3° notus ob dedicationem ad studium et ad doctrinam sit.

§ III. – Regens a capitulo provinciali proponitur et a magistro Ordinis usque ad sequens capitulum instituitur. Proponi etiam potest immediate pro secunda institutione, non autem pro tertia. Durante munere:

1° membrum est ex officio consilii provinciæ;

2° præses est ex officio commissionis de vita intellectuali;

3° subsidium œconomicum habet in ratione æstimata (budget) provinciæ;

4° nominari non potest ad officia quæ eum ab exercitio sui muneris detrahunt.

93-bis. — § I. — *Ad centrum studiorum superiorum necnon universitatem constituendam vel acceptandam, servatis a iure servandis et condicionibus academicis habitis, requiritur:*

1° *petitio a capitulo provinciali facta, expositis rationibus;*

2° *decretum adprobationis a magistro Ordinis datum.*

§ II. — *Centra studiorum superiorum et universitates quæ quomodocumque ad Ordinem pertinent quotannis magistro Ordinis de statu proprio rationem reddant.*

§ III. — *Ad centrum studiorum specialium necnon ad centrum formationis permanentis constituendum, requiritur adprobatio prioris*

provincialis cum suo consilio, audita commissione de vita intellectuali provinciæ.

94. — § I. — *Gradus scientifici in Ordine sunt:*

1° *lectoratus;*

2° *magisterium in sacra theologia.*

§ II. — *Si aliqua provincia opportunum duxerit, a gradu lectoratus conferendo abstinere potest.*

95. — *Examen lectoratus fiat iuxta modum et condiciones in Rationibus studiorum generali et particulari determinatas.*

96. — *Magisterium in sacra theologia fratribus confertur qui in scientiis sacris promovendis eminentes agnoscuntur.*

Huiusmodi excellentia comprobatur capacitate reflexionem et inquisitionem doctrinalem suscitandi ac ducendi, necnon operibus eximii valoris editis atque auctoritate in campo scientifico etiam extra Ordinem iam assecuta.

97. — § I. — *Ut quis ad magisterium in sacra theologia promoveri possit requiritur:*

1° *ut vita et prudentia sit commendabilis;*

2° *ut, studiis complementariis absolutis, labori intellectuali saltem per decem annos totaliter se devoverit;*

3° *ut a commissione de vita intellectuali provinciæ capitulo provinciali provinciæ sive affiliationis sive assignationis fratris præsentetur, et a duabus ex tribus partibus vocalium eiusdem capituli proponatur, vel a magistro Ordinis si agatur de fratre in conventibus vel institutis eidem immediate subiectis degente;*

4° *ut de valore sui laboris et capacitate ad illum prosequendum sententiam favorabilem ferat commissio ad minus trium in specialisatione scientifica promovendi peritorum, qui a magistro Ordinis seligendi sunt;*

5° ut a capitulo generali vel a magistro Ordinis cum suo consilio promoveatur;

6° ut magister recenter promotus publicam lectionem det.

§ II. – Nemo ad magisterium in sacra theologia promoveri potest nisi modo prædicto.

CAPUT IV

DE MINISTERIO VERBI

Art. I – DE EXIGENTIIS FUNDAMENTALIBUS

98. — Exemplo s. Dominici qui salutis omnium hominum et populorum sitientissimus fuit, noverint fratres se missos ad omnes homines, cœtus et populos, credentes et non-credentes, et præsertim pauperes, ut animum intendant evangelizationem et plantationem Ecclesiæ inter gentes et fidei illustrationem ac confirmationem in populo christiano.

99. — § I. – Ministerium verbi est participatio muneris prophetici corporis episcoporum, ideoque in primis oportet ut prædicatores Evangelium integrum recipiant et mysterii salutis vivam intellegentiam quærant prout ab Ecclesia traditur et explicatur. Quo spiritu evangelico et doctrina solida sit semper signata prædicatio dominicana.

§ II. – Ut autem eius actio salutifera omnes attingere possit, necesse est non tantum attendere ad situationes et adspirationes hominum quos alloquimur sed etiam vivum commercium cum illis instituere, ut verbi revelati accommodata prædicatio lex omnis evangelizationis permaneat, præsertim apud eos qui a fide longe sunt. Sic mens nostra pateat simul et spiritui Dei et cordibus eorum quibus verbum proponitur ut communicacionem lucis necnon amoris et virtutis Paracliti obtineat.

Quapropter fratres sciant agnoscere Spiritum in medio populi Dei operantem et discernere thesauros in variis culturæ humanæ formis absconditos, quibus ipsius hominis natura plenius manifestatur novæque viæ ad veritatem aperiuntur.

§ III. – Fratres vitam spiritualem et virtutes humanas colere satagant ne moribus infirmant quod ore proferunt.

100. – § I. – Ministerium prædicationis opus communitarium est et ad universam communitatem primo pertinet; unde in traditione Ordinis conventus sæpe “sacra prædicatio” vocatur.

§ II. – Fratres cooperatores partem habent in apostolatu totius communitatis non solum labore suo quo necessitatibus conventus provident, sed etiam ministerio proprie dicto, tam cum fratribus presbyteris cooperando quam secundum indolem suam activitatem apostolicam exercendo.

§ III. – Superior una cum fratribus hoc munus commune prædicationis ponderet et recipiat, ut communitas integra responsabilis fiat; firmo tamen iure superioris decidendi et aliquod ministerium particulare acceptandi.

§ IV. – In colloquiis fraternis fratres experientias et quæstiones apostolicas inter se conferant ut eas studio communi subiciant et iunctis viribus in cœtibus specialibus ministerium efficacius exercere valeant.

101. – § I. – *Fratres ubicumque ministerium exercent sociam operam ineant cum episcopis in planificatione apostolatus sive diœcesana sive nationali.*

§ II. – *Collaboratio aliis cum presbyteris et religiosi valde commendatur præsertim in iis quæ magis ad charisma nostrum pertinent, ita ut munera apostolatus nostri et aliorum mutuo se compleant in commune servitium Ecclesiæ.*

§ III. — *Cum laici ratione baptismatis et confirmationis deputati sint ad apostolatam, nos cum eis ad hoc tendere debemus ut Ecclesia in omnibus campis societatis tamquam sacramentum salutis præsens fiat et maneat.*

§ IV. — *Fratres demum, conspicientes in omnibus hominibus bonæ voluntatis imaginem Dei creatoris et spem salutis, cum eis collaborare non dubitent quamvis eisdem nondum possint Evangelium annuntiare.*

Attendant ad virtutes humanas et methodos discutiendi ac dialogandi quæ in cooperatione cum hominibus alius persuasionis speciali modo exiguntur.

102. — *Ad vocationem dominicanam essentialiter pertinet docere verbo et scripto sacram doctrinam et alias disciplinas quæ diffusioni et intellectui fidei inserviunt.*

103. — § I. — *Fratres præsentes sint in universitatibus, institutis et centrīs scientificis necnon in scholis diversi generis et gradus, sive nostris sive alienis, præsertim ut professores et ut adsistentes religiosi.*

§ II. — *Fratres sedulo parati cooperari studeant cum peritis in variis scientiis, tum participando eorum investigationes, tum quærendo modos communicandi cum eis veritatem Evangelii, ita ut progressus culturæ ad clariorem perceptionem humanæ vocationis conducat atque ad altiorem intellegentiam fidei mentes excitet.*

104. — *Ad veritatem diffundendam et opinionem publicam recte efformandam, fratres speciali idoneitate et eruditione præditi sedulo diversis instrumentis communicationis socialis utantur.*

105. — § I. — *Ministerium verbi, quacumque forma exerceatur, cum sacramentis intime conectitur et in eis perficitur. Christiana enim vita verbo et sacramentis nascitur, nutritur et robo-*

ratur. Unde fideles de eis e doceantur ut signa eorum intellegere queant et ad ipsa suscipienda apte disponantur.

§ II. – Cum Eucharistia sit centrum vitæ Ecclesiæ ac fons et culmen totius evangelizationis, fratres eximii huius mysterii gratiam attente considerantes, momentum eius sive pro sua sive pro aliorum salute ponderare et eius efficacitatem ac fecunditatem ita fidelibus suadere curent ut pie, actuose et frequenter fractionem panis participant.

§ III. – Sacramentum pænitiæ eiusque administratio intime cum ministerio verbi coniungitur, quia conversio cordis quam prædicatio inspirare nititur, per veniam et reconciliationem cum Deo et Ecclesia perficitur; et insuper, quia conspirat ad illuminationem et formationem conscientiæ necnon ad profectum in spiritu evangelico.

Fratres igitur ad fructuosam sacramenti pænitiæ ministrationem paratos et diligentes semper se præbeant, et in exercitio huius ministerii attendant ad progressum scientiarum de homine necnon ad particulares condiciones et sensibilitatem singulorum fidelium. Simili ratione fratres educationem vitæ christianæ plurimi faciant.

Art. II – DE PRIORITATE ET PLANIFICATIONE

106. — § I. – Prædicationem sub quacumque forma fratres exercere debent. In ordinem autem prioritatis ministerii determinando, attendere debent ad necessitates Ecclesiæ ipsius voce et signis temporum manifestatas, quibus specifica sua vocatione subvenire tenentur.

§ II. – Ideo præ aliis illa seligant formas quæ promotioni fidei magis inseruiunt, sive apud non credentes sive apud spatia humana quæ extra fidem evolvuntur, sive apud credentes ut fides illorum roboretur et perficiatur.

§ III. – Qua norma præ oculis habita ad provinciam pertinet determinare, secundum necessitates regionales et vires disponibles, objecta priora ministerii fratrum et periodice revisionem criticam exercere circa onera quæ apostolatam aggravant.

§ IV. – Ad prioritates ministerii apte prosequendas, magistri Ordinis eiusque consilii est inter provincias cooperationem sustinere, præcipue quando quæstiones tractandæ momentum internationale habent tum in ordine religioso tum sociali.

107. – § I. – *Provincia vel vicariatus planificationem totius apostolatus conficiat et fratres ad eum præparet necnon coordinationem virium disponat ratione habita unitatis, vigoris et continuitatis apostolatus. Quæ planificatio respiciat necessitates actuales Ecclesiæ et eiusdem provinciæ vel vicariatus necnon futuram problematum evolutionem.*

§ II. – *Ut cultura mobilitatis et vitalitas ministeriorum provinciæ sustineantur, prior provincialis cum suo consilio rationem pro successione in apostolatibus provinciæ præparet, quam unoquoque quarto anno recognoscere tenetur.*

Art. III – DE PRÆDICATIONE AD UNIVERSUM MUNDUM

108. – § I. – Missio fratrum Prædicatorum in servilium Ecclesiæ ut nomen evangelizent Iesu Christi gentibus est munus totius Ordinis. Hæc autem diversis modis exercetur iuxta diversas condiciones sive Ecclesiæ sive populorum, cœtuum et hominum ad quos dirigitur. Semper autem fiat secundum principia fundamentalia ministerii verbi et modo cum charismate Ordinis consonanti.

§ II. – Activitas missionalis ad hoc tendere debet ut missionarius, suæ vitæ et prædicationis evangelico testimonio, præsentem faciat Christi Evangelii trahentem virtutem, tamquam

veram salutis propositionem, et sic in hominum liberatione et reconciliatione cooperando populum Dei congreget.

Suam activitatem missionarius ordinet in ædificationem Ecclesiæ, in populis vel cœtibus in quibus nondum radicata est, et etiam ad suscitandam fidem et vitam christianam in regionibus ubi Ecclesia regressionem subiit, ita ut semper se consideret in servitio Ecclesiæ localis.

109. — § I. — *Fratres magnopere attendant ad problemata religiosa et humana pauperum atque operariorum, et specialiter eorum qui a fide longe sunt.*

§ II. — *Provinciae illas formas vitæ ac prædicationis quærant et statuunt, per quas apostolatus inter illos necessitatibus obiectivis aptius respondeat.*

110. — *Inter mutationes ipsam vitam christianam afficientes, præsertim ex progressu scientiarum, artium vel culturæ, fratres maxime conentur discernere valores qui vias ad vividiorum Dei sensum præbent et adlaborare ad solvendas quæstiones quas in mente hominum hæc evolutio excitat, ita ut prædicatio Evangelii puriorem ac maturiorem adhæSIONem fidei suscitet.*

111. — *Fratres semper promptos se exhibeant ad colloquia et ad omnes opportunitates veri dialogi, sive instituendi sive prosequendi, cum asseclis aliarum religionum et cum non-credentibus. Meminerint tamen præparationem specialem circa problemata exinde insurgentia omnino necessariam esse.*

112. — *Superiores de erectione conventuum in missionibus potius curent quam de territoriis retinendis ut fratres maxima cum libertate iuxta charisma Ordinis proprium, ministerio verbi incumbere possint.*

113. — § I. — *Cura missionum ad totum Ordinem pertinet et ideo singuli fratres modo quo possunt missiones adiuvent. Magistri Ordi-*

nis est in collaboratione cum provinciis quarum interest adiumentum præbere ita ut fratres unius vel plurium provinciarum in localium ecclesiarum servitium mittantur.

§ II. — *Activitas missionalis nostra regitur:*

1° *iure communi, necnon peculiaribus Sanctæ Sedis decretis;*

2° *constitutionibus et statutis particularibus a provinciis elaboratis.*

114. — § I. — *Ad munera missionalia efficacius et plenius adimplenda, foveatur collaboratio fratrum inter provincias in eisdem regionibus laborantes.*

§ II. — *Fiat etiam collaboratio omnium provinciarum in tota activitate missionali Ordinis, ita ut priores provinciales libenter præsentent fratres idoneos ad opus commune prosequendum.*

§ III. — *In negotiis missionum expediendis magister Ordinis adiuvatur a socio pro apostolatu in Ordine.*

115. — *Ad opus missionale destinentur qui prius signa vocationis missionariæ dederint et bene parati sint ad illud exsequendum. Formatio specialis missionariis detur in aliquo conventu missionum vel aliquo instituto specializzato, in quibus linguam vernaculam, mores, historiam, culturam et pastorem missionariam populi addiscant.*

116. — *vacat.*

117. — *Memores sint missionarii nostri finem missionum dirigi ad communitates fidelium efformandas, ut quantocius suis necessitatibus per seipsas providere queant. Curent proinde ut ecclesia particularis instructa copia localium sacerdotum, religiosorum et laicorum, iis ministeriis et institutis ditetur quæ ad vitam christianam sub episcopo proprio ducendam et dilatandam necessaria sunt.*

118. — *Quia vita religiosa præclarum signum regni cælestis est et per intimiorem consecrationem Deo in Ecclesia factam lucide quoque*

manifestat et significat intimam vocationis christianæ naturam, inde a periodo plantationis Ecclesiæ missionarii nostri vitam religiosam sub formis indigenis sedulo promoveant.

119. — § I. — *Missionarii nostri, quantum possibile sit, vitam regularem instituant, studeantque in perfecta communitate vivere.*

§ II. — *Ad hoc obtinendum quamprimum erigatur conventus in quo vita dominicana exprimat iuxta exigentias, ingenium atque indolem peculiarem populi evangelizati, ut revera appareat indigena et non extranea in patria sua. Traditiones asceticæ et contemplativæ, quarum semina iam ante Evangelii prædicationem nonnumquam antiquis culturis a Deo indita sunt, quæ congruant vitæ dominicanæ, assumantur.*

§ III. — *Quantocius fieri possit vocationes dominicanæ promoveantur, ut plantatio Ordinis stabilis fiat et provincia autochtona erigi ac vivere queat.*

120. — *Provincia in territorio missionum erecta spiritum missionarium manifestet, ita ut non solum concives participes efficiat nuntii Evangelii sed et aliis gentibus illud prædicare satagat.*

121. — *Centra investigationis constituentur in quibus patrimonium religiosum et socio-culturale populorum apprime cognoscatur, et quæ compatible sint in unitatem catholicam recapitulentur. Hæc centra uti valde conformia cum peculiari apostolatu Ordinis maxime promoveantur cum adsistentia diversarum provinciarum.*

122. — *Speciali cura fratres promoveant puerorum et adolescentium educationem, cum hæc apud nationes progredientes maxime conferat ad elevandam dignitatem humanam et ad condiciones humaniores præparandas.*

123. — *Ad unitatem promovendam inter universos christianos current fratres spiritum œcumenicum inter catholicos fovere ac verum et*

sincerum dialogum cum non catholicis inire, ita ut, scandalum divisionis vitetur, atque cooperationem in re tum sociali et technica tum culturali et religiosa instituant.

Art. IV – DE PRÆDICATIONE AD POPULUM

FIDelem

124. — § I. — Fratres per prædicationem christianos gradatim ad maturitatem et responsabilitatem fidei promoveant ut Ecclesia in testimonio Evangelii renovetur et confirmetur.

§ II. — Fratres specialem curam habeant de homilia et de aliis prædicationis modis qui, actioni liturgicæ et sacramentis cohærentes, in vitam fidelium intimius penetrant.

125. — *Fratres peculiarem adsistentiam spiritualem et doctrinalem præstent presbyteris et religiosis atque aliis quibus committitur cura educandi populum in fide.*

126. — *Ecclesiæ nostræ sint centra prædicationis, vitæ liturgicæ, communitatis christianæ et irradiationis apostolatus.*

127. — *Cum apostolatus Ordinis pluribus in regionibus efficaciter exerceatur in parœciis, fratres quibus hæc cura committitur, omni sollicitudine muneri huiusmodi præcipue per ministerium verbi, incumbant.*

128. — § I. — *Curent superiores ut conventus cui concredita vel unita sit parœcia habeat condiciones necessarias et sufficientem numerum fratrum ad ministerium parœciale cum vita conventuali rite componendum.*

§ II. — *In qualibet provincia numerus parœciarum ita moderari oportet ut sufficiens copia fratrum maneat, qui et aliis ministeriis verbi Dei liberius ac plenius vacare possint.*

§ III. — *Superior competens pro acceptanda paræcia est prior provincialis de consensu sui consilii, nisi capitulum provinciale determinaverit hanc facultatem reservatam esse capitulo provinciali, aut consilio vicariatus cum adprobatione consilii provinciæ.*

129. — Rosarium mariale cum sit via ad contemplanda mysteria Christi et schola ad vitam evangelicam efformandam habeatur ut forma prædicationis Ordini consentanea, in qua doctrina fidei exponitur sub luce participationis B.V. Mariæ in mysterio Christi et Ecclesiæ.

Unde fratres praxim rosarii, quod ut nota Ordinis peculiaris habendum est, ferventer prædicent ut in dies vividior fiat eiusque associationes promoveant.

130. — § I. — *Fratres ut præcones Evangelii Christi, magnæ responsabilitatis pro unitate populi Dei conscii, curent spiritum œcumenicum inter catholicos fovere ut opus reconciliationis semper maius incrementum accipiat.*

§ II. — *Investigationes theologicæ circa quæstiones œcumenicas locum eminentem obtineant, et fratres debita præparatione scientifica formati in sincera collaboratione cum aliis theologis specializatis et institutis opus œcumenicum promoveant.*

Art. V — DE AMBITU SOCIALI MINISTERII NOSTRI

131. — *Munus prædicationis regni cælorum, quod iam inchoatum est per Incarnationem Verbi Dei et ad restaurationem omnium rerum in Christo tendit, nos ad promovendum rectum societatis ordinem urget.*

132. — § I. — *Interest in primis populi Dei conscientiam illuminare circa omnes exigentias suæ insertionis in societatem humanam, et*

eum excitare ut cum omnibus bonæ voluntatis hominibus, in unum conatum et laborem vires coniugantur ad regnum iustitiæ, amoris fraterni et pacis in terris firmandum.

§ II. — *Ad hoc obtinendum laicorum præcipue formationem adiuvare oportet, eorumque missionem et actionem propriam in societate hodierna ædificanda agnoscere et fovere.*

133. — *Problemata humana et moralia, quæ ex novis semper adiunctis exsurgunt, diligenter investigare satagant fratres una cum diversarum rerum socialium peritis, attentione habita ad aspectus theologicos harum quæstionum.*

134. — *Apostolatus noster in ambitu sociali debet esse et apparere verum hominum servitium, confirmatum operibus ac rebus pro eis impensis, et maxime insignitum plena libertate evangelica, præsertim a quacumque factione independens.*

135. — *vacat.*

Art. VI — DE QUIBUSDAM PRÆREQUISITIS
AD MINISTERIUM EXERCENDUM

136. — *Fratres ad prædicandum et ad confessiones audiendas debita facultate sint præditi (CIC 764–765, 966 et seq.).*

137. — *Fratres non prædicent intra terminos alius provinciæ, sine prævio illius prioris provincialis consensu saltem habitualiter concesso.*

138. — *Fratres adprobati in examine Ordinis ad confessiones audiendas, ipso facto adprobationis ab examinadoribus subscriptæ, facultatem delegatam possident super personas Ordini subiectas, monialibus exceptis, et super alias diu noctuque in conventibus nostris degentes (CIC 967–969).*

139. — *Præ oculis semper habebunt fratres eorum publicas inter-ventiones (in libris, diariis, radio et televisio, aliisque instrumentis communicationis socialis) non tantum in ipsos sed etiam in fratres eorum et Ordinem et Ecclesiam redundare. Quamobrem sedulo invigilent ut crescat mens dialogi et mutuæ responsabilitatis in iudicio eligendo tam cum fratribus quam cum superioribus eorum. Peculiarem attentionem ferant huic critico dialogo cum superioribus maioribus si eorum dicta vel scripta ad materias disputatas alicuius momenti spectant.*

139-bis. — § I. — Fratres ut libros edere possint, licentia in scriptis superioris maioris egent.

§ II. — Si superior maior de licentia concedenda dubitet ob problemata fidei morumve instituat commissionem trium peritorum ad opus examinandum.

§ III. — Quod si licentiam non concedat, rationes denegationis auctori communicet.

§ IV. — Auctor, cui licentia a superiore maiore denegata est, ad magistrum Ordinis recurrere potest. Quo in casu magister Ordinis instituat commissionem ad textum examinandum. Sententia magistri Ordinis pro definitiva habeatur.

140. — *Post editum librum, unum exemplar ad archivum Ordinis et aliud ad archivum provinciæ mittatur.*

CAPUT V

DE HABITUDINE FRATRUM AD
ALIOS CÆTUS ORDINIS ET AD
CONSOCIATIONES

141. — Omnes cœtus familiam dominicanam constituentem (cf. n. 1 § IX), communis vocationis participes, singuli suo modo missioni Ordinis in mundo inserviunt.

142. — Moniales Ordinis, ex proposito S. Dominici, vita sua religiosa contemplativa totaliter vacant communicationi cum Deo, ex qua vita apostolica fratrum sicut et aliorum cœtuum familiæ dominicanæ nutritur, dum testimonium præbent orationis, silentii et pœnitentiæ.

143. — *Intima communio spiritualis monialium cum fratribus fulcitur etiam ligamine iuridico, quo ipsæ cum Ordine uniuntur secundum modum in earum constitutionibus statutum.*

144. — Sorores, spiritu ac zelo s. Dominici imbutæ, verbo et opere testimonium Evangelio reddunt intima communione cum fratribus coniunctæ in ædificationem populi Dei.

145. — *Ideoque fratres et sorores collaborationem et planificationem apostolicam insimul instituant.*

146. — *Superiores nostri fraterna sollicitudine omnimodum iuveniam monialibus ac sororibus præstent; fratres autem, iuxta superiorum dispositionem, libenter eis in doctrinali, sacramentali et pastoralis munere ministrent.*

147. — Sodales institutorum sæcularium, quæ Ordini aggregantur, consiliorum evangelicorum professionem in sæculo secundum spiritum s. Dominici amplectuntur.

148. — *Fratres sodalium perfectionem et institutorum incrementum foveant atque fraternam collaborationem cum eis instituant, ut fructuosum apostolatam in mundo exercere valeant.*

149. — § I. — *Fraternitates laicales Ordinis sunt associationes laicorum qui speciali Dei dono in spiritu apostolico s. Dominici coadunati, "suam et aliorum salutem procurare intendunt" per professionem vitæ evangelicæ, secundum formam vivendi ab Ordine pro eorum statu in sæculo adaptatam et rite adprobata.*

§ II. — *Habeantur quoque fraternitates sacerdotum, qui vitam et ministerium suum spiritu s. Dominici informare satagant.*

150. — *Curent fratres quam maxime easdem fraternitates fovere et cum eis reciprocam collaborationem instituere ut ministerium Ordinis diversis in campis tam Ecclesiæ quam mundi plenius exerceatur.*

151. — *Structura et regimen fraternitatum in regula earum determinantur.*

152. — *Consociationes Ordini adnexæ, vitæ christianæ renovationem in populo Dei foventes, bono spirituali fidelium inseruiunt et simul Ordini collaborationem in aliquo speciali apostolatu præstant (cf. appendicem n. 4).*

153. — *Ideoque confraternitates Ordinis, præsertim SS. Nominis Iesu et SS. Rosarii, necnon associationes nostras, attentis locorum et temporum adiunctis, fratres promovere curent, ut fidelium utilitati congruant. Quoad structuram et regimen, earum statuta serventur.*

SECTIO SECUNDA

DE INSTITUTIONE FRATRUM

CAPUT VI

DE PRINCIPIIS COMMUNIBUS

154. — Ad hoc tendere debet institutio ut alumni modo progressivo ducantur ad plenitudinem vitæ et apostolatus quæ sunt Ordini propria secundum ea quæ in legibus nostris necnon in Ratione generali formationis dicuntur.

155. — Ad institutionem fructuose accipiendam, ex parte candidati requiruntur sanitas physica, maturitas psychologica proportionata eius ætati, idoneitas ad vitam sociale, vitæ christianæ congrua soliditas, aptitudo, recta intentio et libera voluntas Deo et Ecclesiæ sese vovendi in vita dominicana.

156. — Ad ipsum candidatum sub magistrorum ac aliorum formatorum ductu pertinet prima responsabilitas propriæ institutionis in libera cooperatione cum divinæ vocationis gratia.

157. — Institutioni præfiantur fratres apte selecti et sedulo præparati. Plures cooperari possunt in formationis opere; unus tamen sit qui totius formationis integrationem curet.

158. — *Ubi capitulo provinciali opportunum videatur, constitui potest consilium formationis, distinctum a consilio conventuali, cuius erit de rebus ad formationem integram pertinentibus agere, et sic magistrum adiuuare in suo munere. Huiusmodi consilii compositionem et munera determinet capitulum provinciale vel prior provincialis cum suo consilio.*

159. — Magister curam habet tum de vita spirituali tum de disciplina, prout utraque ad formandorum integram institutionem requiritur, relicta ipsis formandis libertate adeundi etiam alios fratres pro magis personali directione spirituali.

160. — Ita ordinari debet conventus formationis ut, salvis exigentiis pro institutione, formandis præbeantur secundum opportunam progressionem condiciones realis vitæ quam ulterius ducere debent.

161. — *In formationis conventibus vigeat vita communis vere fraterna, ita ut, servata congrua cætuum distinctione, formandi activæ et gradatim participare possint vitam communitatis, ad institutionem magis solidam et completam acquirendam. Igitur omnes religiosi sint conscii propriæ responsabilitatis in iuniorum formatione.*

162. — Ad humanam et religiosam maturitatem promovendam, necnon pro præparatione ad apostolatam secundum alumnorum ætatem et condicionem instituantur exercitationes opportunæ a singulis provinciis elaborandæ.

163. — *Adsit pro toto Ordine Ratio formationis, a capitulo generali vel a magistro Ordinis adprobata necnon opportunis temporibus recognoscenda, quæ generalia principia spiritualia et fundamentales normas pædagogicas tradat pro fratrum institutione, relicta provinciis cura elaborandi proprias normas pro locorum et temporum adiunctis.*

164. — Quamvis per plures annos etiam cum interruptione studiorum ratione exercitationum duret fratrum institutio, et secundum gradus diversos distribuatur, tamen concipi et practice perfici debet ut processus continuus et progressivus cuius integratio ex finis unitate oritur. Igitur sub luce huius unitatis accipiendæ sunt diversæ periodi institutionis infra distinctæ.

CAPUT VII

DE VOCATIONIBUS PROMO VENDIS ET EXCOLENDIS

165. — § I. — *Omnes fratres, præsertim qui apud adolescentes vel iuvenes apostolatam exercent, ut officium suæ vocationis dominicanæ considerent actuose et prudenter operam dare ad fovendas vocationes ad Ordinem.*

§ II. — *Quælibet provincia vocationum promotorem nominet quod, si fieri potest, eiusdem munus primarium sit.*

§ III. — *Meminerint tamen omnes vitam et apostolatam uniuscuiusque fratris et communitatis esse primam invitationem ad vitam dominicanam capessendam.*

166. — § I. — *Ubi opportunum fuerit de consensu capituli vel consilii provincie, prævia adprobatione magistri Ordinis, erigi potest schola apostolica pro iuniorum adspirantium institutione.*

§ II. — *Statuta scholæ et normæ vivendi a fratribus in hac re peritioribus determinantur, de mandato et cum adprobatione prioris provincialis cum suo consilio.*

167. — § I. — *Adspirantes ad Ordinem antequam ad novitiatum admittantur per aliquod tempus ad ipsum præparentur.*

§ II. — *Capituli provincialis vel prioris provincialis cum suo consilio erit determinare tempus, modum et locum huius præparationis.*

§ III. — *Ad hunc finem attingendum provincia statuere potest periodum prænovitiatus ut primum gradum in itinere ad vitam religiosam ducendam. Finis huius periodi est adspirantem ad novitiatum præparare potissimum catechetica instructione et quadam ad vitam communitariam sane ducendam institutione, necnon Ordini opportunitatem præbere discernendi de adspirantium idoneitate ad vitam dominicanam amplectendam.*

168. — § I. — *Ad novitiatum valide non admittuntur nisi qui septem et decem annos compleverint.*

§ II. — *Qui ab Ordine nostro vel ab alio instituto religioso separati fuerint, ut in Ordinem admittantur, prævio consensu consilii provinciæ, requiruntur:*

1° *admissio a priore provinciali si perdurante novitiatu separati fuerint;*

2° *admissio a magistro Ordinis, de consensu sui consilii, si expleto novitiatu vel post professionem separati fuerint, servatis præscriptis CIC 690 § 1.*

169. — § I. — *Adspirantes clerici ad novitiatum non admittantur nisi illa studia confecerint quæ pro accessu ad studia superiora seu universitaria in propria regione requiruntur.*

§ II. — *Congruam linguæ latinæ cognitionem habeant vel quantocius acquirere satagant.*

§ III. — *Pro fratribus cooperantibus requiritur formatio secundaria vel alia æquivalens a capitulo provinciali determinata.*

170. — *Antequam quis ad novitiatum admittatur superiores exquirere tenentur omnia documenta a iure requisita et alias informationes quæ ipsis ad hunc finem necessariæ vel opportunæ videantur.*

171. — *Ius examinandi et admittendi candidatos ad novitiatum pertinet ad provinciam. Ad prædictum examen peragendum constituitur cætus specialis fratrum una cum præside.*

172. — *Quælibet provincia, in statuto proprio, determinet quomodo et a quibus fratribus prædictum examen peragendum sit.*

173. — § I. — *Peracto examine candidatorum, cœtus adunetur et per vota secreta iudicium ferat de admittendis vel recusandis singulis candidatis.*

§ II. — *Præses illius cœtus deinde de omnibus priori provinciali relationem exhibeat, cui ultimo decernere competit de admissione candidati, ita tamen ut reiectum a cœtu speciali admittere nequeat.*

174. — § I. — *Candidatis admissis fiant coram testibus declarationes de quibus in appendice; et de hoc constet in libro recipiendorum per eorundem candidatorum subscriptionem (cf. appendicem n. 5).*

§ II. — *Ipsis fiat etiam protestatio se nihil mercedis posse repetere ob quamcumque operam Ordini præstitam, cuius protestationis conficiatur documentum ab aspirante subscriptum (cf. appendicem n. 5).*

§ III. — *Ante initium novitiatus aspirans ab omnibus sæcularibus negotiis sese expediat et pecunia vel alia quæ secum detulerit in deposito communi serventur atque si ab Ordine, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur.*

§ IV. — *De expensis pro institutione determinent singulæ provinciæ.*

175. — *Habitus legitime dare possunt magister Ordinis, prior provincialis in propria provincia, prior vel supprior in capite conventus in quo aspirans ad induendum habitum recipitur, et eorum delegati.*

176. — *Vestitio vero fieri potest ante initium novitiatus vel eo per durante, secundum determinationem capituli provincialis.*

CAPUT VIII

DE NOVITIATU

177. — Novitiatu est probationis tempus, ad hoc videlicet ordinatum ut novitii vocationem divinam, et quidem dominicam, intimius agnoscant, modum vivendi Ordinis experiantur, mente et corde in spiritu dominicano informentur atque de eorum proposito necnon idoneitate fratribus constet.

178. — § I. — Ante novitiatu inceptionem adspirantes peragant exercitia spiritualia saltem per quinque integros dies.

§ II. — Novitiatu incipit intimatione facta a legitimo superiore, ad normam n. 174. De intimatione et de affiliatione (nn. 267, 268) fiat registratio, a novitio et a duobus testibus subscripta, in libro admissionum (cf. appendicem n. 6).

§ III. — Novitiatu protrahitur saltem per unum annum. Iuxta determinationem capituli provincialis hic annus interrumpi seu in partes dividi potest ita tamen ut integer novitiatu infra spatium duorum annorum compleatur. Unum vel plura temporis spatia actuositatis formativæ extra novitiatu communitatem peragi possunt ad complendam novitiorum institutionem. In his omnibus servantur præscripta CIC 648–649.

§ IV. — Peracto anno novitiatu, sive continuo sive interrupto, si dubium supersit de idoneitate novitii, potest a priore provinciali probationis tempus non ultra sex menses prorogari.

179. — *Novitiatu communis sit pro fratribus clericis et cooperantibus; factus pro statu cooperantium valet etiam pro statu clericorum et e converso. Transitus tamen a statu cooperantium ad statum clericorum vel viceversa semper fiat de licentia prioris provincialis cum suo consilio.*

180. — § I. — Novitiatus peragi debet in conventu ad hoc erecto per decretum scripto datum a magistro Ordinis, de consensu sui consilii, in quo revera vigeat vita dominicana regularis et apostolica.

§ II. — Idem magister Ordinis, de consensu sui consilii, in casibus particularibus et ad modum exceptionis concedere potest ut candidatus novitiatum peragere possit in alio Ordinis conventu, sub moderamine alicuius probati religiosi, qui vices magistri novitiorum gerat (cf. *CIC* 647 § 2).

§ III. — Superior maior permittere potest ut novitiorum cœtus per certa temporis spatia in alio Ordinis conventu, a se designato, commoretur (cf. *CIC* 647 § 3).

181. — Regimen novitiatus ad magistrum novitiorum spectat. Ad disciplinam vero universi conventus quod attinet, magister perinde ac novitii priori sunt obnoxii.

182. — § I. — Magistri novitiorum instituuntur per capitulum provinciale vel, si extra capitulum de hoc providere oporteat, per priorem provincialem cum suo consilio (cf. appendicem n. 7), monito tamen magistro Ordinis.

§ II. — Perdurant in munere usque ad diem a capitulo sequenti designandum pro assumptione muneris a novo magistro.

§ III. — Cum formatio alumnorum non parum pendeat ex diuturna continuitate in hoc officio, amotio magistrorum extra capitulum non fiat sine gravi causa.

183. — § I. — Novitius potest Ordinem libere deserere aut a superiore competente quavis iusta de causa dimitti.

§ II. — Superior competens ad dimittendum novitium est proprius prior provincialis, vel si adsit periculum in mora, prior de consensu sui consilii, quo in casu relatio adæquata priori provinciali mittenda est.

184. — *Liber discessus aut dimissio in libro admissionum inscribatur.*

185. — *Infra tempus novitiatus magister cum capitulo et consilio conventus bis saltem colloquia habeat, et in scriptis de hoc relationem priori provinciali exhibeat.*

186. — *Proprium magistri munus est novitiorum vocationem discernere atque eos ad vitam Ordinis efformare, iuxta ea quæ in legibus nostris et in Ratione formationis habentur, ut cum recta intentione ac firma voluntate in vocatione proficiant.*

187. — § I. — *A magistro et eius collaboratoribus novitii bene edoceantur in historia salutis, in Sacra Scriptura, in liturgia et in principiis vitæ christianæ necnon circa sacerdotium.*

§ II. — *Bene insuper edoceantur de natura vitæ religiosæ, præcipue vero de historia, spiritualitate et legibus Ordinis; in observantia nostra inicientur, eo scilicet; modo quo ipsius valor spiritualis et apostolicus eluceat.*

§ III. — *Excitentur ad virtutes humanas et christianas colendas, ita ut per humilitatem cordis, per animi ardorem et suiipsius abnegationem ad uberiores spirituales vitam perveniant. Edoceantur quomodo ad sacramentalem pœnitentiam et ad Eucharistiam fructuosius accedant et orationi mentali incumbant.*

188. — *Oportet quod novitii spiritu missionario imbuantur, hominum in mundo viventium condiciones et necessitates agnoscant, et sciant “qualiter ferventes in prædicatione esse debeant tempore opportuno”.²⁵ Institutio proinde non tantum theoricæ verum etiam practicæ sit, per aliquam etiam participationem ad Ordinis activitates apostolicas.*

²⁵ *Primæ Constitutiones O.P., Dist. I, c. 12.*

CAPUT IX

DE PROFESSIONE

189. — § I. — Professione nostra Deo nosmetipsos devovemur, Christum sequentes ad vitam evangelicam in Ordine ducendam, ita ut consecratio nostra baptismalis suum effectum plenius sortiatur.

§ II. — Per hanc obœdientiæ professionem consilia evangelica adimplendi obligationem suscipere intendimus, renuntiantes bonis absque dubio valde æstimandis, sine detrimento tamen vero profectui personæ humanæ. Exinanitionem nempe Christi amplectentes, insimul vitam eius in Spiritu participamus. Ita, si fideles erimus, bonorum regni cælestis in Ecclesia modo clariori testes erimus.

§ III. — In professione nostra, filiali ducti pietate, obsequi quoque promittimus Dei genetrici Virgini Mariæ, utpote Ordinis nostri Matri benevolentissimæ.

§ IV. — Quando autem in eadem professione etiam s. Dominico obœdientiam promittimus, fidelitatem spiritui et proposito eius servare intendimus.

Art. I — DE DUPLICI PROFESSIONE

190. — In Ordine duplex fit professio: prima simplex et temporaria post novitiatum; altera sollemnis et exinde perpetua.

191. — § I. — *Infra bimestre quod præcedit emissionem professionis simplicis et infra semestre quod præcedit emissionem professionis sollemnis examinetur frater eique fiant declarationes iuxta ea quæ in appendice habentur (cf. appendicem n. 5).*

§ II. — *Quoad materiam vero examinis interrogetur et circa obligationes professionis nostræ et circa dispositiones humanas ac spiri-*

tuales quæ ipsum ad vitam Deo per professionem consecrandam in Ordine alliciunt.

§ III. — *Salvo n. 207, ius examinandi pertinet ad conventum ubi frater peregit novitiatum vel ubi est actualiter assignatus et examinatores sunt fratres a priore provinciali vel a priore cum suo consilio designati, secundum quod in statuto provinciæ determinatur. Examen autem extra conventum novitiatum vel assignationis fieri potest.*

192. — § I. — Examine peracto et relatione de eius exitu priori conventus exhibita, admissio fratris ad professionem subiciatur suffragationi, primum capituli deinde consilii conventus. Ante votationem præses discrete vocales certiores faciat de exitu examinis et ab eis quærat an de candidato speciales informationes habeant.

§ II. — Prior de his omnibus priori provinciali relationem exhibeat.

193. — Professionem quamlibet valide recipere possunt magister Ordinis, prior provincialis in propria provincia, prior vel superior in capite conventus in quo professio emittitur, et eorum delegati.

194. — Professio fiat in conventu a priore provinciali designato et ordinarie coram communitate. In casibus tamen exceptionalibus, de consensu prioris provincialis, fieri potest extra conventum Ordinis. De emissa professione adnotatio fiat in libro professionum et ab eodem professo atque a duobus testibus subscribatur (cf. appendicem n. 8).

Art. II – DE PROFESSIONE SIMPLICI

195. — § I. — Peracto novitiatu, novitius professionem simplicem ordinarie emittere debet.

§ II. – Hæc professio emittitur ad triennium; secundum statutum provinciæ hæc professio ad unum vel ad duos annos emitti potest, ita tamen ut renovari debeat ad triennium complendum (cf. CIC 655).

196. — Ad validitatem primæ professionis requiritur:

1° ut qui eam emissurus est decimum octavum ætatis annum expleverit;

2° ut emittatur post annum novitiatus valide peractum, nisi cum dispensatione prioris provincialis anticipetur, non tamen ultra quindecim dies;

3° consensus maioris partis capituli et consilii conventus novitiatus;

4° consensus quoque prioris provincialis, vel etiam utriusque prioris provincialis si contingat novitium in aliena provincia educari.

197. — *In conventibus et domibus, ubi, ad normam nn. 315-bis et 333 consilium non est a capitulo distinctum, alterum votum datur a consilio provinciæ, in vicariatus vero a consilio vicariatus.*

198. — *Prior provincialis novitium a capitulo et a consilio admissum reicere potest; reiectum autem etiam ab uno ex istis admittere non valet. Si prior provincialis provinciæ affiliationis consensum non dederit, prior provincialis provinciæ in cuius conventu peractus sit novitiatus, novitium libere et expresse in scriptis consentientem, potest uti filium suæ provinciæ admittere de consensu consilii sui.*

199. — § I. – Professio simplex facienda est sub hac formula:

“Ego frater N.N. facio professionem et promitto obœdientiam Deo et b. Mariæ et b. Dominico et tibi fratri N.N. magistro Ordinis fratrum Prædicatorum et successoribus tuis (vel: tibi fratri N.N. priori provinciali provinciæ...; vel: delegato...; vice fratris N.N. magistri Ordinis fratrum Prædicatorum et succes-

sorum eius), secundum regulam b. Augustini et institutiones fratrum Prædicatorum quod ero obœdiens tibi tuisque successoribus ad triennium (vel: ad annum).”

§ II. – Si vero tempore professionis Ordo magistrum non habuerit, profitens obœdientiam præidenti promittat vice magistri Ordinis, absque expressione cuiuscumque nominis.

200. – § I. – Durante tempore votorum simplicium frater conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, Ordini acquirit.

§ II. – Ante professionem simplicem vero, novitius debet ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit, etiam Ordini, et de eorum usu et usufructu libere disponere. Licet quoque ipsi de bonis præsentibus vel forte obventuris testamentum condere.

§ III. – Si cessio vel dispositio de qua in § II prætermissa fuerit ob defectum bonorum, et hæc postea supervenerint, fiat aut iteretur secundum normas in § II statutas non obstante simplici professione emissa.

§ IV. – Antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem frater debet omnibus bonis quæ actu vel in certa spe habet, cui maluerit, sub conditione secuturæ professionis, renuntiare.

§ V. – Ad has dispositiones iusta de causa mutandas frater licentia superioris maioris indiget (CIC 668 § 2).

201. – § I. – *Fratres post primum triennium votorum simplicium, sive sponte petentes sive superiore proponente, professionem simplicem renovare possunt, non tamen ultra aliud triennium, quo in casu singulis annis renovari debet. Tamen capitulum provinciale de-*

terminare potest ut professio simplex ordinarie prorogetur post primum triennium.

§ II. — *Qui ab alio Instituto religioso votis perpetuis etiam sollemnibus ligati, ex concessione magistri Ordinis et proprii superioris generalis et de consensu sui cuiusque consilii ad Ordinem nostrum transeunt, professionem sollemnem emittere non possunt nisi post triennium et semper novitiatu peracto (cf. CIC 684 §§ 1–2).*

202. — *Ad renovationem professionis simplicis valide admittit tantum proprius prior provincialis, prævio voto consultivo capituli et consilii conventus in quo frater est assignatus (cf. CIC 656–657).*

203. — § I. — *Professio renovanda est eodem recurrente die quo tempus expletur ad quod emissa est (cf. appendicem n. 9).*

§ II. — *Priori provinciali facultas est iusta de causa permittendi ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non autem ultra mensem, anticipetur.*

204. — *Vota simplicia (temporaria) cessant:*
 1° *elapso tempore ad quod emissa vel renovata fuerunt;*
 2° *indulto discedendi ab Ordine consecuto a magistro Ordinis de consensu sui consilii (cf. CIC 688);*
 3° *dimissione ab Ordine ad normam iuris communis facta (cf. CIC 694–704).*

Art. III – DE PROFESSIONE SOLLEMNI

205. — *Peracto tempore professionis simplicis, frater vel emittat professionem sollemnem vel ad sæculum redeat.*

206. — *Ad validitatem professionis sollemnis requiritur:*
 1° *ut admissio fiat a proprio priore provinciali, audito priore provinciali provinciæ in qua frater degit, si est diversus;*

2° votum capituli et consilii conventus assignationis in quo frater commoratus est per annum immediate præcedentem.

207. — § I. — *Quando frater per hunc annum, qui potest ut talis computari annus scholasticus, in conventu propriæ provinciæ commoratus est, prior provincialis eum ad professionem admittere potest si votum capituli et votum consilii utrumque aut saltem alterum fuerit favorabile, non autem si utrumque contrarium. In conventibus et domibus ubi, ad normam nn. 315-bis et 333 consilium non est a capitulo distinctum, alterum votum datur a consilio provinciæ, in vicariatus vero a consilio vicariatus.*

§ II. — *Quando per prædictum annum frater extra propriam provinciam commoratus est, votum capituli et votum consilii sunt consultiva tantum. In casu tamen, requiritur semper votum consilii provinciæ affiliationis. Si favorabile fuerit, prior provincialis fratrem ad professionem admittere potest, non vero si contrarium.*

§ III. — *Si frater nondum per annum commoratus fuerit in conventu ubi assignatus est et professionem sollemnem emittere debeat, votum capituli et consilii dat conventus in quo per annum immediate præcedentem commoratus est ad normam n. 206, 2°, sed conventus in quo degit omnino prius votum suum debet dare ad informationem.*

208. — *Fratres sollemniter professi, ratione studiorum in aliquo conventu extra suam provinciam assignati, vocem non habent in capitulo quando agitur de admissione ad professionem fratrum alienarum provinciarum; consultari tamen possunt ante votum capituli et consilii si agatur de professione fratrum studentium ex aliis provinciis in conventu degentium.*

209. — *Præter relationem de voto capituli et consilii a priore mittendam, aliæ personales et academicæ de unoquoque candidato a magistro, et a moderatore centri studiorum institutionalium si agatur de studentibus, ad priorem provincialem mittantur.*

210. — *Nulla interposita mora, professio sollemnis emittenda est eodem recurrente die quo tempus expletur ad quod professio temporaria emissa est, nisi cum dispensatione superioris maioris anticipetur ex iusta causa, non tamen ultra trimestre (cf. CIC 657 § 3). Quod si tempus professionis temporariæ legitime prorogatum fuerit, renovata a religioso temporaria professione, hic admitti potest, servatis servandis, ad professionem sollemnem legitime emittendam etiam antequam elapsum fuerit tempus ad quod prorogatio facta est.*

211. — Eadem formula adhibetur ac in prima professione, sed dicitur in fine “usque ad mortem”.

212. — Post professionem sollemnem quæcumque bona temporalia quovis titulo a fratribus acquisita, Ordini, provinciæ vel conventui acquiruntur ad normam legum nostrarum.

CAPUT X

DE INSTITUTIONE POST NOVITIATUM

Art. I – DE PRINCIPIIS COMMUNIBUS

213. — § I. – *Formatio post novitiatum ordinatur ad solidandam et evolvendam totam novitiatum institutionem et ad experimentum complendum tam ex parte Ordinis quam ex parte fratrum.*

§ II. – *Quapropter per tempus in legibus nostris determinatum, fratres in aliquo conventu formationis degant ubi, sub cura magistri, strenue se dedident ad profundius intellegendum et ad praxim deducendum valores atque exigentias vocationis in fideli ac responsabili adimplerione professionis suæ dominicanæ.*

§ III. – De institutione, duratione et amotione magistrorum, normæ n. 182 pro magistro novitiorum statutæ adhibeantur.

214. — § I. — *Magister, secundum uniuscuiusque capacitates, fratres promoveat ad perfectionem religiosam et apostolicam iuxta spiritum Ordinis gradatim assequendam; eos edoceat Christi sequelam in vita nostra supremam esse regulam, sentire cum Ecclesia, spiritum s. Dominici necnon sanas traditiones Ordinis agnoscere et servare, signa temporum opportune cognoscere et in lumine fidei discernere.*

§ II. — *Fratres, ducti amore erga suam familiam dominicanam quæ eos recipit et ditat multiplici traditione sua, considerent vitam religiosam conferre eis stabilitatem in modo vivendi firmiorem, doctrinam ad perfectionem prosequendam probatam, communionem in soliditate Christi fraternam, libertatem per obædientiam roboratam.*

§ III. — *Infra tempus studentatus magister semel saltem in anno cum capitulo conventus colloquium habeat, et in scriptis de hoc relationem priori provinciali exhibeat. Si quis frater in alia provincia studiis operam det, prior provincialis provinciæ affiliationis de eo semel in anno certior fiat.*

215. — *Ut religiosa institutio spiritu apostolico imbuatur, conventus formationis ita sit dispositus ut in eo exerceri valeat apostolatus et fratres pro sua quisque condicione progressive et prudenter initientur in ipsum per veram et activam participationem.*

215-bis. — *Ut fratres prudenter et gradatim ad apostolatam efformentur, post primam professionem in ministeriis lectoratus et acolythatus institui possint.*

216. — § I. — *Ad religiosam formationem fovendam, integrari et promoveri debent dotes naturales quæ ad humanam maturitatem maxime conferunt, ut sunt animi stabilitas atque facultas ferendi ponderatas decisiones et assumendi proprias responsabilitates.*

§ II. — *Ut vitæ religiosæ ad mundi exigentias adaptatio sit revera idonea, fratres non tantum congruentem informationem, iuxta cuiusque personalem indolem et condicionem, de vigentibus vitæ socialis moribus et rationibus sentiendi atque cogitandi acquirant, sed eam sub luce vocationis suæ dominicanæ assimilare et diiudicare etiam adiscant.*

Art. II — DE INSTITUTIONE FRATRUM
COOPERATORUM

217. — Fratres cooperatores, expleto novitiatu, per integrum triennium in conventu pro eorum formatione designato commorari debent, sub cura proprii magistri qui frater cooperator sollemniter professus esse potest quoad formationem spiritua-lem et humanam; sub cura regentis vel alicuius fratris idonei a priore provinciali cum suo consilio designati, quoad formationem intellectualem et professionalem.

218. — Post triennium professionis simplicis, formatio fratrum cooperatorum, sive sint a votis sollemnibus sive non, continuetur saltem ad biennium sub cura superioris localis in aliquo conventu apto, secundum normas a capitulo provinciali statutas.

219. — § I. — *Formatio fratrum ad hoc tendere debet ut eorum qualitates humanæ et virtutes christianæ ita evoluantur ut vitam vere dominicanam agere possint et apti evadant ad participandum, modo ipsis convenienti, communitatis vitam et regimen.*

§ II. — *Apostolatus Ordinis participes effecti per suam professionem, præparentur fratres ad aptam actionem apostolicam exercendam ita ut veri cooperatores fiant in missione Ordinis.*

§ III. — *Cum fratres cooperatores plerumque indole diversi sint et eorum activitas in Ordine multiplici modo exerceri queat, necesse est*

eis præbere institutionem uniuscuiusque capacitati consonam, attentis Ecclesiæ et Ordinis necessitatibus in unaquaque regione.

220. — § I. — *Formatione solida cognitionis fidei, præsertim Sacræ Scripturæ et liturgiæ enutriti, fratres addiscant quomodo his omnibus vita eorum informari et proficere debet.*

§ II. — *Similiter, non neglecta cultura generali, instruantur etiam in illis artibus et technicis quæ magis congruant necessitatibus vitæ ministeriique provinciæ; pro posse studia huiusmodi aliquo diplomate sanciantur.*

Art. III – DE INSTITUTIONE RELIGIOSA FRATRUM CLERICORUM

221. — *Fratres clerici, emissa prima professione, ordinarie transeunt ad studentatum ubi regulariter manent usque ad sacerdotium vel ad finem studiorum institutionalium, ut integram suam formationem prosequantur et perficiant.*

222. — *Presbyteri professi votorum temporariorum, ut in spiritu dominicano et regularis disciplinæ observantia confirmantur, saltem per triennium debent remanere in studentatu sub cura magistri, vel in alio loco sub cura alicuius fratris presbyteri secundum determinationem prioris provincialis cum suo consilio.*

223. — *Cum fratres clerici ad vitam dominicanam in exercitio apostolatus sacerdotalis destinantur, ita instituendi sunt ut Christum imitantes vitam suam religiosam componere addiscant cum futuri sacerdotii exigentiis, ad semper pleniorum integrationem vocationis suæ dominicanæ.*

224. — *Progressiva fratrum studentium institutio ita ducatur ut vita religiosa studio et studium vita religiosa nutriantur.*

225. — § I. — *Opportunæ exercitationes in variis operibus apostolatus methodice et sub ductu peritorum inde a primis annis curriculum studiorum haberi debent, pro posse durante ipso anno academico et præsertim tempore vacationum, secundum normas a singulis provinciis elaboratas.*

§ II. — *Iuxta exigentias diversarum provinciarum et secundum determinationes a respectivis capitulis vel consiliis statutas, interruptio studiorum permittitur exercitationum causa si ad formationem necessarium videatur.*

Art. IV – DE FORMATIONE INTELLECTUALI FRATRUM CLERICORUM

226. — *Fratres studentes magni habeant et opere adimpleant quæ de momento et de fontibus studii dicta sunt nn. 76–83. Conscii sint studium quod peragunt pertinere ad ipsum vitæ genus cui per professionem sese adstringunt.*

227. — *Ad studia nostra institutionalia prosequenda admittantur solummodo fratres qui ad huiusmodi studia apti inveniantur.*

228. — § I. — *Studia rigore et methodo scientifica præstent.*

§ II. — *Cum intellectualis institutio in iudicii formatione præsertim consistat, ideo critica fontium cognitio ac principiorum intelligentia et recte cogitandi modus diligentissime colantur, ita ut fratres apti evadant ad studium proprio conatu et accurato dialogo prosequendum.*

229. — *Studia reguntur:*

1° *secundum Rationem generalem ubi continentur ea quæ ad ordinationem communem studiorum et ad unitatem doctrinalem Ordinis necessaria sunt;*

2° secundum Rationes particulares, necessitatibus regionum et temporum accommodatas.

230. — Ad magistrum Ordinis præcipue pertinet:

1° centra studiorum institutionalium erigere;

2° regentes instituere;

3° Rationem studiorum generalem conficere, promulgare et, mutatis pro tempore adiunctis, congruenter aptare;

4° Rationes studiorum particulares adprobare.

231. — Ad priorem provinciam præcipue pertinet:

1° cum suo consilio determinare modum aptiorem procurandi institutionem fratrum, attendendo ad ea quæ dicuntur n. 234;

2° cum suo consilio et audita commissione de vita intellectuali, regentem magistro Ordinis proponere, si extra capitulum de hoc providere oporteat;

3° præparare professores aptos ad formationem intellectualem fratrum;

4° munus docendi in centris studiorum provinciæ fratribus conferre secundum statuta ipsorum centrorum;

5° submittere adprobationi magistri Ordinis Rationem studiorum particularem.

232. — Studia institutionalia, pro posse, fiant intra Ordinem secundum indolem propriam studii nostri (nn. 76–83). Si opportunum tamen videatur quod non peragantur intra Ordinem, provincia, de consensu magistri Ordinis, disponat modum aptiorem procurandi formationem fratrum, salva semper fidelitate erga traditionem doctrinalem Ordinis.

233. — § I. — Quælibet provincia proprium centrum studiorum institutionalium habeat, ut studentibus provinciæ formationem intellectualem secundum traditionem Ordinis et etiam

provinciae præbeat. Cœtus professorum huius centri, constitutus secundum Rationem studiorum particularem provinciae, sub præsentia moderatoris, responsabilitatem pro studiis institutionalibus fratrum habet, etiamsi studia extra ipsum centrum vel etiam extra provinciam faciunt.

§ II. – Centrum studiorum institutionalium in quo totum curriculum a Ratione studiorum generali Ordinis requisitum ab ipso centro præbetur, optime formationem intellectualem secundum traditionem Ordinis præstat. Provinciae pro posse talia centra constituent et roborent.

§ III. – Ubi propter numerum exiguum studentium, vel carentiam professorum aptorum, vel utilitatem collaborandi cum aliis institutis pro bono ecclesiae, centrum studiorum provinciae non præbet curriculum et studentes, de consensu magistri Ordinis, frequentant instituta vel facultates ad Ordinem non pertinentes, ipsum centrum tamen aliquos cursus vel exercitationes studentibus præbeat, ut illi realem experientiam habeant de studio intra communitatem Ordinis, præsertim in materiis quæ traditionem doctrinalem Ordinis respiciunt.

§ IV. – Quando studentes ad centra studiorum institutionalium alterius provinciae pro studiis institutionalibus mittuntur, ad centrum studiorum institutionalium propriae provinciae alligati remanent, ad illum revertuntur saltem pro aliquibus experientiis studii intra propriam provinciam, et cœtui professorum illius centri subditi sunt quantum ad planificationem et coordinationem studiorum suorum.

§ V. – Quando studentes ad centra studiorum superiorum Ordinis et alia centra studiorum superiorum mittuntur, quantum ad planificationem et coordinationem studiorum suorum, regenti studiorum subduntur.

234. — Cooperatio in studiis institutionalibus intra Ordinem fieri potest:

1° constituendo in aliqua natione vel regione, salvo n. 233, centrum studiorum institutionalium interprovinciale, suum particulare statutum habens, in quo totum curriculum secundum Rationem studiorum generalem Ordinis fratribus plurium provinciarum præberi potest;

2° præbendo in centro unius provinciæ partem curriculum (e.g. formatio philosophica pro studentibus duarum vel plurium provinciarum), et aliam partem in centro alterius provinciæ. Hæc collaboratio regitur secundum statutum particularem inter provincias concordatum;

3° offerendo provinciis qui studentes ad centrum alicuius provinciæ mittunt aliquam participationem, saltem consultivam, in regimine illius centri;

4° mittendo studentes ad centra studiorum superiorum Ordinis, præsertim internationalia, salvo semper n. 233 .

235. — In regimine conventus studiorum, prior condiciones favorabiles formationi intellectuali studentium procuret et libertatem fratribus quibus incumbit ista formatio intra limites muneris uniuscuiusque agnoscat.

236. — Moderatores centri studiorum institutionalium instituuntur secundum statutum proprium ipsius centri, salvo n. 92-bis § I.

237. — § I. — Centrum studiorum institutionalium dirigitur a cœtu professorum sub præsentia moderatoris. Huius cœtus est in centro studiorum ea omnia quæ ad studium pertinet promovere, respectu semper habito ad integram fratrum formationem. Rationum particularium erit determinare quinam docentes ad professorum cœtum iure pleno pertineant et qualis sit participationis modus studentium in hoc cœtu.

§ II. — Moderatorium huius centri in exercitio sui muneris subditur priori provinciali. Subditur priori conventuali vero in

omnibus quæ ad vitam religiosam et regimen communitalis spectant.

§ III. – Professores et studentes sub auctoritate moderatorii, ad studium promovendum libenter collaborent.

238. — *Quo aliquis instituatnr professor in centro studiorum institutionalium, requiritur ut, post curriculum institutionale, studia complementaria præsertim circa materiam suæ disciplinæ, secundum determinationes Rationum studiorum perficiat. Insuper congrua experientia ministerii pastoralis et pædagogica formatione præditus sit.*

239. — *Professores assidua perseverantia studio vacent ut magis ac magis efficiantur in sua disciplina periti et ad investigationem scientificam idonei; conscii tamen sint quod moderata activitas pastoralis utilis eis est in munere studendi et docendi.*

240. — § I. — *Professores inter se et etiam cum studentibus veram communionem intellectualem instituere nitantur sicque formationi omnium et singulorum studentium efficacius incumbant.*

§ II. — *Fratres ministerio addicti pro opportunitate invitentur ad colloquia cum professoribus et studentibus habenda de quæstionibus quæ homines magis movent ideoque incitamenta studiis præbent.*

241. — *Curriculum studiorum institutionalium complectitur disciplinas philosophicas et theologicas necnon institutionem pastoraalem.*

242. — *Quantum ad philosophiam et theologiam tradendas, serventur ea quæ statuuntur in decreto "Optatam totius" Concilii Vaticani secundi (nn. 13–19), speciatim attendendo ad:*

1° *studium scientificum fontium, præcipue quidem, quod ad theologiam attinet, Sacræ Scripturæ;*

2° *momentum syntheseos systematicæ quærendæ ope speculationis sub ductu s. Thomæ magistri (cf. n. 82 supra);*

3° *problemata singulis temporibus et pro unaquaque regione urgentiora.*

243. — *De cœtus professorum iudicio et cum licentia prioris provincialis, fratres mitti possunt ad universitates ut aliquibus studiis incumbant, etiam durante curriculo studiorum, attentis uniuscuiusque qualitatibus et condicionibus regionum; in hoc casu salva sit semper coordinatio cum formatione intellectuali Ordini propria. Studiis tamen in universitate peractis, fratres complere non omittant studia Ordini propria si nondum sint expleta.*

244. — § I. — *Fratres studia complementaria peragant in institutis specialibus, secundum determinationes planificationis provinciæ (cf. supra n. 107), ratione habita aptitudinis et propensionis singulorum.*

§ II. — *Durante curriculo institutionalis aliquam præparationem ad hæc studia incipere possunt.*

245. — *Opportunitas et modus faciendi votationem de moribus religiosi ante examina a capitulo provinciali determinentur, salvo præscriptis n. 251 § III.*

Art. V – DE FRATRIBUS ORDINANDIS ET SACERDOTIO INITIATIS

246. — *Ad ordines promoveri possunt tantum fratres qui:*

1° *sint professi a votis sollemnibus;*

2° *debitis qualitatibus præditi sint;*

3° *a proprio superiore maiore præsententur;*

4° *a consilio conventuali adprobentur, cuius est examinare si ordinandi requisita habeant (cf. CIC 1029 et 1051).*

247. — § I. — *Superiores ad ordines neminem admittant quamdiu de eiusdem moribus religiosi, de aptitudine ad sacerdotale officium et*

de profectu in studiis sibi per accuratam inquisitionem non constiterit.

§ II. — *Ipsi vero singulos ordinandos interrogare et declarationem manu exaratam et subscriptam, de quo in CIC 1036, recipere ne omittant ut certiores reddantur eos libere ac scienter ad ordines in statu religioso promoveri velle.*

248. — § I. — *Post adprobationem in consilio et examine peracto circa ordinem suscipiendum coram examinadoribus a capitulo provinciali designatis, superior maior litteras dimissorias conficiat ad episcopum diœcesanum mittendas, servatis de iure servandis (cf. appendicem n. 10).*

§ II. — *Litteras dimissorias prior provincialis ne concedat, nisi filiis suæ provinciæ vel fratribus in sua provincia assignatis, de consensu prioris provincialis provinciæ affiliationis.*

249. — § I. — *Presbyteri studentes extra studentatum manentes, a priore vel ab aliquo fratre presbytero a priore provinciali designato, opportunis colloquiis et exercitationibus in vitam et apostolatam sacerdotalem gradatim introducantur.*

§ II. — *Sint tamen semper sub iurisdictione prioris conventus, salvis iuribus regentis quoad studia.*

250. — § I. — *Curriculo studiorum peracto, iuvenes presbyteri religiosæ et apostolicæ vitæ cum sensu responsabilitatis applicentur, ita ut ministerium sacerdotale vitam eorum spiritualem et intellectualem revera foveat et integret, conscii specialium problematum quæ primis annis sui sacerdotii ipsis impendent.*

§ II. — *Fratres, præsertim superiores, iuvenes presbyteros in eorum ministeriis fraterne adiuvent consilioque adsistant.*

251. — § I. — *Exercitio muneris confessarii præmittatur examen speciale. Modus hoc examen faciendi in Ratione generali studiorum statuitur.*

§ II. – *Fratres examen subire debent infra sex menses ab institutionali studiorum curriculo theologico absoluto, vel ab ordinatione sacerdotali si hæc quacumque ex iusta causa differatur.*

§ III. – *Ante hoc examen requiritur ad validitatem votatio de moribus de qua n. 318, 4°.*

Art. VI – DE FORMATIONE PERMANENTI

251-bis. — Propositum fundamentale formationis permanentis est renovatio et maturatio fratrum secundum diversas “ætates” eorum vitæ, ut semper magis idonei fiant ad annuntiandum Verbum Dei gentibus, quæ rebus mundi hodierni adiunctis signantur.

In communitate provinciali munus formationis permanentis pertinet ad priorem provincialem, cui assistit promotor provincialis formationis permanentis; in communitate conventuali ad priorem conventualem, cui assistit lector conventualis, et ad capitulum conventuale; in communitate vero domus ad superiorem.

251-ter. — § I. – Adsit in omni provincia promotor formationis permanentis cuius est sub auctoritate prioris provincialis:

1° programmata annualia formationis permanentis elaborare, adiuvante commissione de vita intellectuali provinciæ;

2° cum prioribus et lectoribus conventualibus necnon superioribus domorum semel saltem in anno huiusmodi programmata (provinciæ nempe et conventuum domorumque) coordinare, audito tamen regente studiorum quando agitur de studiis;

3° communicationes inire cum aliis centrīs et institutis pro formatione permanenti necnon cum in hac disciplina peritis.

§ II. – Promotor provincialis formationis permanentis a capitulo provinciali ad quadriennium instituitur. Durante mune-

1° moderator est centri formationis permanentis provinciæ, salvo n. 92-bis § I;

2° membrum est commissionis de vita intellectuali provinciæ;

3° subsidium œconomicum in ratione æstimata ("budget") provinciæ quotannis habet.

DISTINCTIO SECUNDA

DE REGIMINE ORDINIS

Sectio prima. *Normæ generales:* de constitutione Ordinis; de iure quo regitur ordo.

Sectio secunda. *De ipso regimine:* de regimine conventus; de regimine provinciæ; de regimine totius ordinis.

Sectio tertia. *De electionibus:* de electionibus in genere; de electione prioris conventualis; de electione vicarii provincialis; de electionibus pro capitulo provinciali; de electione prioris provincialis; de ceteris electionibus in capitulo provinciali faciendis; de electione magistri Ordinis.

Sectio quarta. *De administratione œconomica:* de principiis administrationis œconomicæ; de modo administrandi; de administratione in specie.

SECTIO PRIMA

NORMÆ GENERALES

CAPUT XI

DE CONSTITUTIONE ORDINIS

252. — Fratrum prædicatorum Ordo, cui præsent capitulum generale et magister Ordinis, coalescit ex provinciis quibus singulis præsent capitulum provinciale et prior provincialis.

Singulæ autem provinciæ constant ex conventibus et domibus quæ suo quæque priore vel superiore reguntur.

Art. I – DE PROVINCIIS

253. — § I. – Provincia constat ex tribus saltem conventibus quorum duo ad minus habeant octo vocales. Insuper, omnes vocales provinciæ saltem sint quadraginta.

§ II. – Provincia habere debet territorium a territorio aliarum provinciarum distinctum.

254. — Cuilibet provinciæ competit ius:

1° adscribendi sibi ut filios eos qui novitiatum pro ea incipiunt;

2° apte procurandi institutionem fratrum, et – dummodo adsint condiciones requisitæ – habendi novitiatum et centrum studiorum institutionalium proprium;

3° celebrandi capitulum provinciale;

4° participandi capitulis generalibus.

255. — *Ad novam provinciam erigendam, præter condiciones in n. 253 stabilitas, requiritur ut habeatur fundata spes quod vocationibus ex proprio territorio poterit ulterius progredi in vitam regularem et apostolicam.*

256. — *Capitulo generali vel magistro Ordinis cum suo consilio competit provincias erigere, dividere, inter se coniungere, aut suppressere.*

256-bis. — § I. — *Pro unione vel fusione plurium provinciarum vel vice-provinciarum requiruntur:*

1° *vota consultiva consiliorum provinciarum quoad negotia de unione vel fusione tractanda;*

2° *quatenus adiuncta id permittant, consultationes fratrum provinciarum quarum interest modo a magistro Ordinis elaborato vel adprobato;*

3° *decisio magistri Ordinis cum suo consilio; primus superior novæ provinciæ vel vice-provinciæ a magistro Ordinis instituitur.*

§ II. — *Si videatur necessarium, statutum speciale provisorium a magistro Ordinis promulgari potest.*

§ III. — *In casu divisionis provinciæ modus procedendi a consilio provinciæ elaboretur et a magistro Ordinis cum suo consilio adprobetur.*

257. — 1° *Magister Ordinis, de consensu sui consilii, erigere potest vice-provinciam, quæ saltem habeat in territorio ei assignato duos conventus proprie dictos et viginti quinque vocales;*

insuper possit ex propriis mediis providere ut habeat condiciones ad novam provinciam instaurandam stabilitas.

2° Vice-provinciæ præest ut superior maior prior vice-provincialis, a capitulo vice-provinciæ electus. Vice-provincia obligationes et iura provinciæ habet.

258. — § I. — Si aliqua provincia aut vice-provincia per triennium condiciones ad normam n. 253 aut n. 257 requisitas non adimpleat, capitulum generale vel magister Ordinis consentiente suo consilio illam declaret haud amplius gaudere iuribus provinciæ aut vice-provinciæ, salvo semper iure participandi capitulo generali iam convocato.

§ II. — Hac declaratione publicata, si provincia condiciones ad normam n. 257 requisitas adimpleat, vice-provinciæ iuribus gaudeat et obligationibus teneatur. Aliter magister Ordinis in et super hanc provinciam aut vice-provinciam vicarium (cf. n. 400) ad quadriennium instituat, qui omnes habeat condiciones pro priore provinciali requisitas, et hanc entitatem regit iuxta normas a magistro Ordinis statutas.

§ III. — Si postea provincia vel vice-provincia de qua in § I condiciones ad normam n. 257 requisitas adimpleat, capitulum generale vel magister Ordinis de consensu sui consilii declaret illam vice-provinciæ iuribus gaudere et obligationibus tenere.

§ IV. — In regionibus ubi propter circumstantias adversas capitulum provinciale nequeat celebrari, magister Ordinis de consensu consilii sui poterit providere de modo quo, æquitate servata, provincia repræsentetur in capitulo generali.

259. — § I. — *Provinciæ denominantur et inter se ordinantur iuxta traditiones vigentes (cf. appendicem n. 12). Quæ deinceps condantur locum obtinebunt secundum tempus suæ erectionis.*

§ II. – *Exinde qui uniuscuiusque personam gerunt qua prior provincialis, diffinitor vel elector, ordinantur inter se secundum ordinem provinciarum.*

Art. II – DE CONVENTIBUS

260. – § I. – Iure nostro nomine *conventus* intellegitur communitas quæ habet ad minus sex fratres assignatos ibique habitualiter degentes, quorum quinque voce activa gaudent et saltem quattuor sunt presbyteri.

Communitas vero quæ istas condiciones non habet dicitur *domus*.

§ II. – Quæ dicuntur de conventibus valent etiam pro domibus nisi aliud expresse caveatur.

261. – § I. – Ad conventum erigendum vel supprimendum, servatis a iure servandis (cf. *CIC* 609–612, 616), requiritur:

1° petito a capitulo provinciali facta, expositis rationibus;

2° adprobatio magistri Ordinis;

3° decretum a magistro Ordinis in scriptis datum ad validitatem.

§ II. – Quando agitur de translatione vel reassumptione conventus in eadem civitate, sufficit decisio prioris provincialis de consensu sui consilii.

§ III. – Non licet uni provinciæ erigere conventum intra limites alterius, nisi de consensu magistri Ordinis et consilii provinciæ in qua fundatio fieri intenditur.

262. – *Quando domus habet condiciones iure nostro pro conventu proprie dicto requisitas, prior provincialis, audito capitulo communitatis et si consilium provinciæ adprobet, per proprium decretum domum illam in conventum instituat et fratres priorem eligant.*

263. — *Quando nova communitas immediate in conventum proprie dictum erigitur, prior provincialis priorem instituat ad normam n. 373, 1°.*

264. — *Nullus conventus reduci potest ad condicionem simplicis domus nisi a capitulo provinciali.*

Art. III – DE FRATRUM INCORPORATIONE

265. — *Fratres Ordini incorporantur per primam professionem.*

266. — *Fratres inter se ordinantur quoad locum secundum professionem, ita tamen ut superiores aliis præcedant.*

267. — *Quemlibet fratrem oportet esse adscriptum alicui provinciae. Hæc adscriptio quæ contrahitur cum inceptioe novitiatus vocatur affiliatio.*

268. — *Ante novitiatus inceptioem expresse declarandum est postulantis aliæ provinciae pro qua provincia adspirans recipiatur ut filius. Quod si admissus fuerit absque ulla determinatione, ipse erit filius provinciae in qua novitiatum incepit.*

269. — *Potest de una ad aliam provinciam transfiliatio fieri a magistro Ordinis, de consensu tamen utriusque prioris provincialis et sui cuiusque consilii.*

270. — § I. — *Assignatio est adscriptio fratris alicui provinciae vel conventui determinato, cum omnibus iuribus et obligationibus nisi aliud suis in locis expresse caveatur.*

§ II. — *Assignatio vel est directa seu simpliciter facta, vel indirecta seu facta ratione officii vel studiorum.*

§ III. – Assignatio vero ratione studiorum extra propriam provinciam, ad habendam vocem in electionibus non sufficit. Alia iura et obligationes fratris ratione studiorum assignati determinat prior provincialis provinciæ assignationis prævio consensu prioris provincialis provinciæ affiliationis, salvo n. 208 .

§ IV. – Assignatio ratione officii unice valet pro superioribus, illa autem ratione studiorum tantummodo pro studentibus extra provinciam.

§ V. – Quilibet frater iam inde a prima professione indiget assignatione directa determinato conventui, quæ est per se sine limitatione temporis. Assignatio indirecta durat solo tempore officii. Durationem assignationis indirectæ ratione studiorum determinat prior provincialis provinciæ assignationis de consensu prioris provincialis provinciæ affiliationis. Vigente assignatione indirecta, prævia assignatio directa inactiva manet; transacto tempore assignationis indirectæ reviviscit assignatio directa seu simpliciter facta.

271. – § I. – *Capitulum generale vel magister Ordinis ad quamcumque provinciam aut conventum fratres libere assignare potest.*

§ II. – *Capitulum autem provinciale vel prior provincialis assignationes facere potest in sua provincia.*

§ III. – *Capitulum provinciale vel prior provincialis fratrem alius provinciæ ad suam provinciam assignare potest de consensu capituli provincialis vel prioris provincialis provinciæ affiliationis, munito tamen magistro Ordinis.*

§ IV. – *Frater qui ad normam § I vel § III ad provinciam simpliciter assignatus fuerit, indiget præterea quam primum assignatione conventui determinato.*

§ V. – *Fratrum assignationes directæ et indirectæ ratione studiorum fiant in scriptis (cf. appendicem n. 13).*

272. — *Litteræ assignationis coram communitate in conventu ad quem frater mittitur, quamprimum non ultra hebdomadam ab earum receptione legantur. A quo momento incipit adscriptio fratris huic conventui, etiamsi ipse tunc adesse non potuerit.*

Superior autem adnotet factum in libro consilii et de eo certiolem faciat superiorem conventus prioris assignationis.

273. — *Deputatio dicitur fratris destinatio alicui provinciæ vel conventui ad tempus, a superiore maiori in scriptis facta imponens obligationes assignationis quæ expresse non excluduntur, non autem tribuens eius iura, salvo tamen iure participandi in electionibus conventus suæ assignationis.*

274. — *Deputatio ordinarie non fiat ultra sex menses. Exceptionaliter vero, præcipue ratione docendi, fieri potest ad annum.*

CAPUT XII

DE IURE QUO REGITUR ORDO

Art. I – DE LEGUM ORDINIS DISTINCTIONE

275. — § I. – Spiritu evangelico ductus et regula s. Augustini innixus, Ordo noster regitur, præterquam cunctis Ecclesiæ legibus, decretis et privilegiis (cf. appendicem n. 14) quæ nos respiciunt:

1° constitutionibus Ordinis;

2° ordinationibus quæ sive in Libro constitutionum et ordinationum sive in actis capitulorum generalium inveniuntur;

3° ordinationibus magistri Ordinis;

4° consuetudinibus legitimis.

§ II. – Quoties in iure nostro occurrit nomen *constitutio* significationem strictam accipit pro constitutionibus proprie dic-

tis dumtaxat; verba autem *leges nostræ* vel *ius nostrum* indicant tum constitutiones tum ordinationes (cf. appendicem n. 1).

276. — § I. — Illud dumtaxat statutum ut constitutio habeatur quod a tribus capitulis generalibus continuis fuerit acceptatum, et quidem per modum inchoationis in primo capitulo, adprobationis in secundo et confirmationis in tertio. Qui modus procedendi servandus est quoque pro abrogatione vel substantiali mutatione constitutionum.

§ II. — Unum tamen capitulum generalissimum tribus capitulis generalibus æquipollet.

277. — Inchoationes quæ fiunt in capitulis generalibus vigere non incipiunt usquequo adprobatae et confirmatae fuerint per alia duo capitula et factæ sint constitutiones, nisi forte inchoatio fiat per modum ordinationis.

Inchoationes vero cum ordinatione, quæ sunt contra constitutiones, non fiant, nisi raro et de causa urgenti, quæ semper a capitulo expresse declarari debet.

278. — Quælibet provincia præterea regitur:

1° statuto provinciæ;

2° ordinationibus capituli provincialis;

3° ordinationibus prioris provincialis necnon aliorum qui diversimode provinciæ præficiuntur.

279. — § I. — Statutum provinciæ est collectio ordinationum de vita et regimine conventuum ac provinciæ, præsertim in iis quæ iuxta leges nostras a singulis provinciis determinanda sunt.

§ II. — 1° Uni capitulo provinciali competit ordinationes in statutum provinciæ inserendas facere, eas mutare vel abrogare;

2° statutum provinciæ vel mutationes in eo faciendæ, sicut omnes aliæ ordinationes capituli provincialis, a magistro Ordinis adprobari debent.

§ III. – Mutationes quæ modum celebrandi capitulum provinciale respiciunt quæque in statutum provinciæ inserendæ sunt, a celebratione capituli sequentis dumtaxat vim habere incipiunt.

280. – Quilibet conventus regitur insuper ordinationibus sui superioris et aliorum qui diversimode possunt vices eius gerere.

281. – Leges nostræ et ordinationes superiorum non obligant fratres ad culpam sed ad pœnam, nisi propter præceptum vel contemptum.

Art. II – DE LEGUM ORDINIS
PROMULGATIONE, DURATIONE,
INTERPRETATIONE ET DISPENSATIONE

282. – § I. – *Constitutiones et ordinationes capitulorum generalium promulgantur per editionem in actis capitulorum generalium vel alio modo ab iisdem capitulis determinato et, nisi aliud expresse statuatur, vigere incipiunt post duos menses a promulgatione, computando a die quo inscribuntur litteræ quibus magister Ordinis exhibet fratribus acta capituli.*

§ II. – *Ordinationes vero magistri Ordinis promulgantur et obligare incipiunt modo ab ipso determinato.*

283. – § I. – Capitulo generali competit potestas declarandi aliquam legem nostram non urgere ob speciales temporum et locorum aut rerum circumstantias in ipsa declaratione exprimendas. Durante intervallo ab uno capitulo ad aliud eadem facultas attribuitur magistro Ordinis, audito suo consilio.

§ II. – In singulis capitulis generalibus renovetur præfata declaratio si ipsa adhuc opportuna probetur.

284. – Ordinationes capituli generalis et magistri Ordinis vim obligandi retinent, donec a simili potestate revocatæ fuerint.

285. – § I. – *Ordinationes quæ in vigore permanserunt per duo capitula continua et in tertio fuerunt adprobatæ in librum constitutionum et ordinationum inserantur. Si non insertæ fuerint, abrogatæ considerandæ sunt, nisi a capitulo generali denuo instituantur.*

§ II. – *Ordinationes quæ in libro constitutionum et ordinationum inveniuntur per capitulum generale revocari possunt usque ad proximum capitulum; si vero secundum capitulum primum confirmet definitive abrogantur (cf. appendicem n. 2).*

286. – § I. – *Ordinationes quæ in statuto provinciæ inveniuntur vim retinent usque ad revocationem per capitulum provinciale, salvo n. 279 § III.*

§ II. – *Aliæ ordinationes capituli provincialis durant usque ad diem quo vigere incipiunt acta capituli sequentis.*

287. – *Ordinationes superiorum eorumque vices gerentium cessant cum eorum officio, salvo n. 284.*

288. – *Ordinationes in visitationibus canonicis factæ in suo robore manent usque ad sequentem visitationem a simili potestate peractam.*

289. – § I. – *Legitimæ consuetudines Ordinis vel provinciæ vim legis obtinent usquedum a capitulo generali vel provinciali revocatæ fuerint.*

§ II. – *Consuetudines constitutionibus et ordinationibus quæ inveniuntur in hoc libro contrariæ reprobandur.*

290. — Interpretatio authentica legum nostrarum competit capitulo generali. Attamen, quando agitur de interpretatione constitutionum, hæc vim constitutionis non consequitur nisi per tria capitula continua adprobata fuerit.

291. — Si extra capitulum generale in aliquo textu legum nostrarum occurrit aliquod dubium, interpretationi declarativæ magistri Ordinis standum est.

292. — § I. — Soli capitulo generali vel magistro Ordinis competit cum toto Ordine, vel permanenter cum provincia aut conventu aut fratribus a legibus Ordinis dispensare.

§ II. — Prior provincialis in sua provincia et prior conventualis in suo conventu fratres dispensare possunt in iis quæ superiori altiori non reservantur.

293. — *Dispensationes, nominationes, et alia similia quomodolibet per capitulum generale vel magistrum Ordinis sine temporis limitatione facta, in robore manent donec fuerint revocata per similem potestatem. Ab inferioribus autem capitulis vel superioribus quomodolibet facta perdurant usque ad promulgationem actorum sequentis capituli, aut usque ad susceptionem officii cuiusque eorum successoris nisi aliud in legibus nostris expresse caveatur.*

Art. III – DE PRÆCEPTO FORMALI

294. — Præceptum formale, quod obligat sub gravi:

1° non fiat nisi de re secundum leges nostras ex se vel ex adiunctis gravi, prudenti consideratione et sufficienti inquisitione præhabitis, atque non nisi in casu veræ necessitatis;

2° fiat semper in scriptis, ad tempus determinatum et accurate definiatur quid faciendum aut quid omittendum sit;

3° exprimatur debita formula, videlicet: præcipimus (aut prohibemus) in virtute obœdientiæ.

295. — Præceptum formale dare possunt capitulum generale et provinciale necnon superiores et alii ex prædictorum delegatione.

296. — *Præcepta cessant vel elapso tempore vel resolutio iure præcipientis.*

297. — Invalidum est præceptum:

1° si non sit datum in scriptis, aut si omittatur debita formula de qua in n. 294;

2° si superior localis imponat præceptum toti communitati sine prævio consensu prioris provincialis vel, in casu urgentis necessitatis, consilii conventus; vel si prior provincialis illud imponat pro tota provincia absque consensu sui consilii.

SECTIO SECUNDA

DE IPSO REGIMINE

297-bis. — In negotiis tractandis vim habet iuris, quod, præsentē maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori, id est, quod excedat medietatem suffragiorum, suffragiis nullis et abstentionibus non computatis (cf. appendicem n. 14-bis).

297-ter. — *Vocales non de facili a suffragio determinato abstineant, præsertim de admissione ad professionem, sed tantum ob iustam causam quæ iudicium impedit.* [♦ K 322]

CAPUT XIII

DE REGIMINE CONVENTUS

Art. I – DE PRIORE CONVENTUALI

298. — Prior conventualis habet potestatem ordinariam ad normam iuris, tam pro foro interno quam pro foro externo, in fratres suo conventui assignatos vel ibi degentes.

299. — Prior “non se existimans potestate dominante sed caritate serviente felicem”¹:

1° vitam fraternam regularem et apostolicam promoveat;

¹ *Regula s. Augustini, 7.*

2° fratribus de necessitatibus provideat;

3° sollicitus sit ut fratres propriis obligationibus satisfaciant.

300. — *Prior:*

1° sæpe verbum Dei fratribus proponat et sacrificium Missæ pro eis offerat;

2° consilium fratrum libenter exquirat, eorum responsabilitatem stimulet, et collaborationem omnium in bonum communitatis et salutem hominum foveat.

301. — § I. — Prior officium suum ordinarie obtinet per electionem canonicam a superiore confirmatam. Perdurat in eo non ultra triennium, quo exacto potest ad idem munus iterum assumi, sed non tertio immediate in eodem conventu.

§ II. — Officium incipit a die acceptationis et terminatur completo, eodem die, fine triennii.

302. — § I. — *Si contingat triennium prioris terminari infra trimestre quod præcedit celebrationem capituli provincialis vel electionem prioris provincialis, prorogatur prioris auctoritas usque ad completum capitulum vel, si prior provincialis extra capitulum eligatur, usquedum prior provincialis suum officium assumpserit.*

§ II. — *Ubi, iusta de causa, videatur non expedire ut electio prioris celebretur infra mensem post vacationem prioratus, prior provincialis, audito capitulo conventus, potest priorem cessantem vel superiorem in capite in suum vicarium pro regimine conventus non tamen ultra sex menses instituire, nisi infra semestre celebrandum sit capitulum provinciale.*

303. — *Prior instituere potest in suum vicarium, si opportunum iudicaverit, aliquem fratrem presbyterum in conventu assignatum, qui habeat potestatem quam idem prior ei commiserit.*

304. — *Absentibus priore, suppriori et vicario, presbyter in ordine antiquior, habens vocem activam et in conventu assignatus, tamquam vicarius habeatur.*

305. — § I. — *Prior qui ob infirmitatem impeditur a suis muneribus rite obeundis, si spes non appareat valetudinis intra sex menses recuperandæ, officio suo renuntiet.*

§ II. — *Si voluntatem suam renuntiandi communicare non potest vel non vult, supprior, audito consilio, casum ad priorem provinciam submittat.*

306. — *In fine sui officii, prior rationem reddat sui regiminis iuxta determinationem in statuto cuiusque provinciæ faciendam.*

Art. II – DE CAPITULO CONVENTUALI

307. — *Capitulum conventuale est coadunatio fratrum, præside priore, ad tractandum vel decernendum de iis quæ ad vitam communem et apostolicam necnon ad bonam administrationem conventus spectant.*

308. — § I. — *Ad capitulum pertinent fratres qui voce activa gaudent in conventu.*

§ II. — *Quando agitur de acceptatione ad professionem, omnes fratres sollemniter professi votum habent et convocari debent, ad normam n. 208.*

309. — § I. — *Capitulo adsit secretarius, unico scrutinio ab eodem electus. Res deliberatas et resolutiones capituli in libro ad hoc deputato conscribat.*

§ II. — *De iudicio prioris, consentiente capitulo ad illud quandoque possunt vocari et audiri fratres professi non vocales, quin tamen habeant votum.*

310. — Capituli est:

1° eligere priorem necnon socium vel socios prioris euntis ad capitulum provinciale, salvo n. 490 ;

2° consensum dare ad institutionem vel amotionem superioris proponente priore;

3° eligere membra consilii conventualis, ad normam n. 315, 2°;

4° suffragium ferre, ad normam nn. 192, 196, 202, 206, 207, pro admissione fratrum ad professionem;

5° mittere ad capitulum provinciale et generale petitiones vel quæstiones ibi examinandas;

6° eligere lectorem conventualem.

311. — § I. — *Capituli etiam est:*

1° vitam communitatis ordinare, infra limites legum nostrarum, in iis quæ secundum determinationem capituli provincialis, iudicio conventus relinquuntur;

2° negotia graviora iudicio præsidis circa apostolatam et administrationem temporalem conventus tractare, salvo iuribus prioris provincialis.

§ II. — *Ad hoc quod vita communis apostolatui inserviat et laboribus fratrum locupletetur, quilibet conventus elaboret proprium programma seu schema vitæ apostolicæ. Schema hoc ab omnibus præparatum et revisum, a priore provinciali adprobari debet. Hoc modo eliminabitur activitas individualis a propria communitate et a priore provinciali non admissa.*

§ III. — *Capitulum provinciale determinet quænam in capitulo conventuali voto decisivo decernenda sint.*

312. — § I. — *Ius convocandi capitulum, quod pluries in anno habendum est, uni præsidi competit.*

§ II. — *Convocatio capituli semper publice et in scriptis fieri debet.*

§ III. — Capitulares possunt ante capitulum aliqua negotia tractanda præsidi proponere; si autem tertia pars capituli aliquod negotium proposuerit, præsides tenentur hoc discussioni submittere. Durante capitulo nullum negotium proponatur nisi præsides in eo consenserit vel ad hoc invitaverit.

§ IV. — Ne quid ex abrupto decernendum in capitulo proponatur, die saltem una vel altera antequam capitulum coadunetur, dummodo absit a mora periculum, de omnibus ac singulis tractandis vocales fiant certiores.

§ V. — Quando agitur de admissione ad professionem, semper adsit ad minus media pars ex illis qui vocem habent et in conventu habitualiter resident.

§ VI. — Præsides determinare potest quid sub secreto servandum erit.

313. — § I. — In deliberationibus semper sufficit simplex votorum maioritas, abstentionibus non computatis.

§ II. — Si vota fuerint æqualia, præsides ad breve tempus decisionem differre potest antequam causam dirimat.

§ III. — Res ordinarie per vota secreta decernantur.

Art. III — DE CONSILIO CONVENTUALI

314. — Consilium conventuale est coadunatio fratrum, præsidente priore, quorum ipse consensum aut consilium ad normam legum nostrarum exquirere debet.

315. — Ad consilium pertinent:

1° superior;

2° duo saltem fratres vocales, numquam tamen plus quam octo, a capitulo conventuali ad triennium electi et a priore provinciali adprobati. Numerus eligendorum ab ipso capitulo determinetur;

3° præterea, in conventibus formationis, magister novitorum, fratrum studentium et fratrum cooperantium, necnon moderator centri studiorum institutionalium.

315-bis. — *In conventibus ubi adsunt octo vocales vel minus, petente capitulo conventuali, prior provincialis permittere potest ut consilium huius conventus non sit a capitulo distinctum.*

316. — *Secretarius consilii, unico scrutinio ab eodem consilio electus, si non sit ex membris, votum non habet. Res deliberatas et resolutiones consilii in libro ad hoc deputato conscribat.*

317. — § I. — *Exceptis casibus a iure expressis, vota consilii sunt decisiva et non consultiva tantum.*

§ II. — *In casibus urgentioribus quando plures adesse non possunt, sufficit ut præter præsidem consilii adsint saltem duo consiliarii.*

§ III. — *Syndicus semper vocetur ad deliberationes consilii participandas, quin tamen votum habeat, nisi iam sit membrum eiusdem.*

§ IV. — *Alii officiales conventus ad consilium vocentur ut audiuntur, quando agendum erit de negotiis quæ ad eorum munus spectant.*

318. — Consilii est:

1° consensum dare ad institutionem vel amotionem syndici;

2° suffragium ferre, ad normam nn. 192, 196, 197, 202, 206, 207, pro admissione fratrum ad professionem;

3° dimittere tum postulanti tum novitium in casu urgenti;

4° dare adprobationem de moribus iure nostro requisitam pro examinibus subeundis (cf. n. 245 et 251 § III);

5° dare adprobationem de ordinibus suscipiendis (cf. n. 246 ; CIC 1029 et 1051, 1°);

6° adprobare rationem syndici et aliorum administratorum, necnon omnia alia de administratione œconomica decernere ad normam nn. 563 § I, 568;

7° decernere ea omnia quæ a capitulo provinciali examini et decisioni consilii relinquuntur.

319. — *Semel saltem in mense, consilium coadunetur et negotia gerat iuxta normas supra nn. 312 et 313 pro capitulo conventuali stabilitas (cf. appendicem n. 14-bis).*

Art. IV – DE OFFICIALIBUS CONVENTUS

320. — *Supprior vices prioris gerit et auxilium ei præstat in regimine conventus.*

321. — *Supprior habeat qualitates requisitas n. 443 § I et II.*

322. — *§ I. – Supprior instituitur a priore non ultra trimestre ab acceptatione prioratus, ad normam n. 310, 2°. Si infra hunc terminum non instituitur, ius eum instituendi ad priorem provincialem devolvitur. In eodem officio institui potest immediate secunda vice, non vero tertia, nisi de consensu prioris provincialis.*

§ II. – Supprior in officio permanet usquedum prior nuper electus suppriorum instituerit ad normam § I.

§ III. – Si alia de causa suppriorum a suo officio cessare contingat, prior intra mensem novum suppriorum instituere debet; secus ius eum instituendi ad priorem provincialem devolvitur.

323. — *vacat.*

324. — *Absente priore, supprior potest præesse capitulo et consilio conventuali, necnon vicarium ad breve tempus instituere.*

325. — Cessante priore ab officio, supprior vocatur *in capite*, et tunc quousque novus prior in conventu præsens fuerit, vi officii sui eandem potestatem et iurisdictionem habet ac prior.

326. — *Supprior in capite non potest facere mutationes notabiles in conventu, et tenetur rationem sui regiminis reddere novo priori coram consilio.*

326-bis. — § I. — Lector conventualis eligitur ad triennium a capitulo conventuali et confirmatur a priore provinciali.

§ II. — Lectoris conventualis est, secundum determinationes secundum capituli provincialis:

1° ratione habita eorum quæ agenda in vita apostolica capitulum conventuale decrevit (n. 307), studium promovere quæstionum quæ forte ipsis adnectuntur;

2° curare ut decisiones commissionis de vita intellectuali provinciæ a priore provinciali confirmatæ in suo conventu in praxim reducantur;

3° colloquia de quæstionibus hodiernis promovere;

4° formationem permanentem communitatis in adiutorium prioris promovere.

327. — Syndicus conventus est administrator bonorum temporalium sub directione prioris; munus suum exercet secundum normas pro administratione statutas.

328. — § I. — *Quilibet frater voce activa gaudens in syndicum conventus institui potest, dummodo ad hoc officium sit vere idoneus.*

§ II. — *Instituitur a priore cum consensu consilii conventualis et approbatione prioris provincialis.*

§ III. — *Instituitur ad triennium, et potest immediate ad aliud triennium institui, non vero ad tertium nisi in casibus necessitatis.*

329. — § I. — *Vacante officio syndici, prior tenetur novi syndici institutionem curare infra mensem, salvo n. 318, 1°.*

§ II. — *Priori conventuali prohibetur ne ipse syndici munus adimpleat.*

330. — *Prior de consensu sui consilii instituat sacristam et bibliothecarium. Pro institutione aliorum officialium quos utiles iudicaverit, consensu consilii non indiget.*

Pro unoquoque officiali, capitulum provinciale condiciones, durationem, munera aliaque opportuna determinet.

Art. V – DE REGIMINE DOMORUM

331. — Superior in sua domo habet potestatem ordinariam ad normam iuris, sicut prior in suo conventu et ad easdem obligationes, servatis servandis, tenetur.

332. — § I. — Superior domus ad triennium, auditis fratribus domus, instituitur a priore provinciali. Et ad alterum triennium immediate subsequens potest eodem modo institui, non autem ad tertium.

§ II. — Elapso triennio, prior provincialis tenetur instituere superiorem infra mensem. Superior tamen domus in officio permaneat usquedum eius successor præsens sit in domo, nisi prior provincialis aliud determinaverit.

333. — *Consilium domus non sit a capitulo distinctum. Superior vero nihil determinet quin vocales audiat vel eorum consensum obtineat in iis pro quibus prior conventualis consilio vel consensu indiget.*

334. — *In casu necessitatis, de iudicio prioris provincialis, superior ipse munere syndici fungi potest.*

335. — § I. — 1° *Domus filialis ab aliquo conventu dependens constitui potest a capitulo provinciali;*

2° *prior conventus vel superior domus vicarium instituat qui in omnibus sese gerat iuxta determinationes ab eodem datas.*

§ II. — *Normæ de modo instituendi vicarium, de destinatione fratrum ad domum filialem, de eorum iuribus et obligationibus erga conventum, a capitulo provinciali statuuntur.*

§ III. — *Fratres in domo filiali degentes, etsi in conventu assignati, non computantur ad numerum fratrum pro conventu proprie dicto requisitum.*

336. — *Capitulum provinciale determinet normas pro fratribus extra conventum aut extra domum degentibus, præsertim circa iura et obligationes erga conventum suæ assignationis.*

337. — *Quæ supra de conventibus et de domibus statuta sunt valent etiam pro conventibus et domibus qui immediate magistro Ordinis subiciuntur, nisi, in casu particulari, ipse magister Ordinis aliter determinaverit.*

CAPUT XIV

DE REGIMINE PROVINCIÆ

Art. I — DE PRIORE PROVINCIALI

338. — § I. — *Prior provincialis est superior maior et proprius ordinarius fratrum.*

§ II. — *Habet in sua provincia similem potestatem ac magister Ordinis in toto Ordine, et potiore iure potestatem quam habet prior conventualis in suo conventu.*

339. — *Quod spectat ad officia prioris provincialis:*

1° conetur totis viribus in sua provincia spiritum et vitam authenticam Ordinis promovere. Signa temporis intelligens, stimulet fratres ut intensiore quo possint modo, ministerio verbi populo Dei inserviant;

2° valde ei cordi sit bonum commune Ordinis. Libenter magistro Ordinis referat de vita fratrum eorumque apostolatu, et collaborationem inter provincias Ordinis foveat;

3° inter provinciam et hierarchiam, necnon inter provinciam et alias familias religiosas cooperationem promoveat, ut necessitates Ecclesiæ localis profundius cognoscantur eisque plenius satisfiat.

340. — *Prior provincialis tenetur totam suam provinciam bis in quadriennio visitare per se, si potuerit, vel per alium. Quotannis tamen visitet conventus novitiatus et studentatus.*

341. — *Prior provincialis:*

1° *in fine visitationis, animadversiones et ordinationes fratribus in scriptis communicet;*

2° *infra trimestre ante cessationem ab officio, relationem de statu provinciæ magistro Ordinis mittat, ita ut ante novam electionem eadem perveniat. In hac relatione referat tum de fratribus, si nempe "in pace continui, in studio assidui, in prædicatione ferventes"² et in observantia regulari fideles; tum de relationibus provinciam ac conventus inter et auctoritates ecclesiasticas.*

342. — *Prior provincialis habeat registrum in quo res a se gestas adnotet.*

343. — *Prior provincialis officium suum ordinarie obtinet per electionem canonicam a superiore confirmatam et in eo perdurat ad quadriennium. Potest ad alterum quadriennium eligi, sed non immediate ad tertium nisi dispensatis interstitiis.*

² *Primæ Constitutiones O.P.*, Dist. II, c. 18.

344. — § I. — *Quadriennium computatur ab uno capitulo provinciali ad aliud, neglectis paucis diebus, hebdomadibus aut mensibus, qui aliquando ad integritatem quadriennii desunt aut superfluunt, et terminatur die immediate ante vigiliam inceptionis capituli provincialis.*

§ II. — *Quod si contingat quadriennium alicuius prioris provincialis finiri, Ordine non habente magistrum, aut infra quattuor menses ante capitulum generale (cf. n. 354 § I), prorogatum intelligitur in utroque casu illius quadriennium usque ad sequens capitulum provinciale, quod celebrabitur post capitulum generale completum.*

345. — § I. — *Prior provincialis potest ad nutum instituere aliquem fratrem presbyterum ut suum vicarium sive super totam provinciam, sive super aliquam eius partem.*

§ II. — 1° *Vicarius provincialis sic institutus eam habet potestatem quam prior provincialis determinaverit, exceptis semper institutione et destitutione superiorum;*

2° *Eius officium expirat cum illo prioris provincialis instituentis.*

346. — *Prior provincialis, quando recedit a sua provincia vel saltem a natione vicarium instituat.*

Quod si nullus vicarius designatus fuerit, ipso facto habeatur vicarius socius prioris provincialis, nisi capitulum provinciale aliter determinaverit.

Art. II – DE VICARIO PROVINCIAE

347. — *Vicarius provinciae eamdem auctoritatem habet ac prior provincialis.*

348. — § I. — *Cessante ab officio priore provinciali ad normam n. 344 § I, vicarius provinciae erit, iuxta determinationem in statuto*

provinciae factam: vel prior conventus ubi proximum capitulum provinciale celebrandum erit aut, si iste conventus tunc priorem non habuerit, prior conventus ubi celebratum est ultimum capitulum, et sic retrocedendo; vel prior qui professione antiquior in provincia existat; vel ipse prior provincialis ab officio cessans.

§ II. – *Cessante ab officio priore provinciali aliis de causis, vicarius provinciae erit socius illius prioris provincialis usque ad diem immediate ante vigiliam capituli provincialis, a qua die vicarius erit prior conventualis ubi proximum capitulum provinciale celebrandum erit, aut si iste conventus tunc priorem non habuerit, prior conventus ubi celebratum est ultimum capitulum, et sic retrocedendo. Hæc postrema norma servetur etiam deficiente socio.*

§ III. – *Cum prior provincialis a iurisdictione exercenda impeditur, recurrendum est ad magistrum Ordinis. Et si recursus non sit possibilis, socius prioris provincialis fit vicarius provinciae, ut supra in § II.*

§ IV. – *Prior provincialis qui ob infirmitatem impeditur a suis muneribus rite obeundis, sine spe valetudinem infra sex menses recuperandi, officio suo renuntiet.*

§ V. – *Si voluntatem suam renuntiandi communicare non potest vel non vult, socius prioris provincialis consilium provinciae convocare et eum præsidere debet, etiam sine priore provinciali. Hoc consilium potest recurrere ad magistrum Ordinis qui capitulum extraordinarium electivum (cf. n. 351 § II), convocet vel vicarium provinciae ut vicarium magistri Ordinis instituat.*

349. – *Vicarius provinciae in officio permanet usquedum præsens sit in loco capituli prior provincialis nuper electus vel postulatus, qui ab illo momento munere vicarii provinciae fungetur et capitulo præest.*

350. – *Qui, mortuo vel amoto priore provinciali, munere vicarii provinciae functus fuerit, de suo regimine rationem reddat capitulo provinciali.*

Art. III – DE CAPITULO PROVINCIALI

351. — § I. — Capitulum provinciale, cui præest vicarius provinciæ vel prior provincialis, est coadunatio fratrum qui conveniunt ad tractandum et diffiniendum de iis quæ ad vitam fraternam et apostolicam atque ad bonam administrationem provinciæ pertinent, necnon ad electiones pro provincia habendas.

§ II. — Præter capitulum ordinarium, de quo in paragrapho præcedenti, haberi potest extraordinarium ad electionem prioris provincialis tantummodo faciendam.

352. — *Vocales capituli provincialis sunt:*

§ I. — 1° *vicarii provinciales, quatenus vocem habeant ad normam n. 384-bis et statuti vicariatus;*

2° *priores conventuales; supprior vero, si ob ægritudinem aliamve gravem causam a priore provinciali acceptam, prior adesse nequit;*

3° *socii priorum euntium ad capitulum, ad normam n. 490;*

4° *delegati fratrum, ad normam nn. 497—501;*

5° *delegatus domus non prioralis cum saltem quattuor fratribus voce activa gaudentibus in territorio uniuscuiusque nationis ubi non sit alius conventus eiusdem provinciæ;*

6° *prior provincialis qui immediate ante capitulum officium in ipsa provincia explevit.*

§ II. — *Si numerus vocalium capituli provincialis ad normam constitutionum electorum sit minor quam viginti, statutum provinciæ providere potest, si vero sit minor quam decem provideat de vocalibus supplementariis, qui tamen sint non plus quam tres. Isti vocales non iure personali, sed per electionem constituuntur.*

353. — Capitulum regulariter de quadriennio in quadriennium celebretur seu quando prior provincialis eligendus est, et quidem tempore determinato secundum morem provinciæ.

354. — § I. — *Si tamen capitulum coadunari contingerit infra quattuor menses ante capitulum generale, computandos a prima die mensis pro celebratione in actis determinati, differtur capitulum provinciale post promulgationem actorum capituli generalis, ad diem quem magister Ordinis, audito priore provinciali, designaverit.*

§ II. — *Non omittatur celebratio capituli provincialis etiam si prior provincialis iam institutus fuerit.*

355. — *Capitulum, cui vocales accedere non omittant, convocetur a priore provinciali vel a vicario provinciæ tres saltem menses ante celebrationem.*

356. — *Litteris convocationis acceptis:*

1° *fiat electio delegatorum de quibus in n. 352 § I, 4°, et in conventibus ius habentibus electio socii vel sociorum prioris euntis ad capitulum, præside supprioris conventus; præterea fiat electio vocalium supplementariorum si casus occurrat de quo in n. 352 § II;*

2° *tres menses ante inceptionem capituli, prior provincialis relationem circa statum provinciæ necnon circa graviora problemata in ea existentia, et officiales provinciæ (cf. nn. 376–381) relationem circa omnia ad eos competentia, capitularibus et conventibus mittant;*

3° *in omnibus provinciæ conventibus habeatur tractatus præside priore in quo examinentur relationes de quibus in 2° et determinentur propositiones vel petitiones in bonum provinciæ vel conventus, ad capitulum mittendæ.*

357. — *In statuto provinciæ determinetur:*

1° *an habendæ sint commissiones præparatoriæ;*

2° *dies in qua facienda sit electio prioris provincialis et diffinitorum capituli;*

3° *quot diffinitores capituli eligendi sint, nempe quattuor, sex vel octo;*

4° *an, quot et quando eligendi sint consiliiarii provinciæ;*

5° *dies in qua faciendæ sint electiones pro capitulo generali.*

358. — *Capitulum provinciale sequenti modo celebretur:*

§ I. — *Pridie, vel ipso die pro inceptione capituli statuto:*

1° *examinentur testimoniales a tribus antiquioribus vocalibus in Ordine, ita tamen ut de gravioribus difficultatibus referre debeant præsidi et vocalibus capituli;*

2° *adprobatis vocalibus, a præside de consensu vocalium instituat unum actuarius vel etiam duo si necesse fuerit;*

3° *a præside cum vocalibus constituentur ex ipsis vocalibus commissiones capituli;*

4° *unaquæque commissio unico scrutinio eligat præsidem et secretarium seligat.*

§ II. — *Capitulum incipiat cum celebratione Missæ de Spiritu Sancto. Post homiliam fiant, in oratione fidelium, deprecationes pro felici exitu capituli, pro vivis et defunctis, nominatis qui ab ultimo capitulo in Domino obierunt.*

§ III. — 1° *Inter ea quæ a commissionibus tractari debent, habeantur quæstiones de activitate apostolica, de statu personali, disciplinari et æconomico provinciæ, iuxta relationes a diversis superioribus exhibendas, prout in statuto provinciæ determinatum fuerat;*

2° *resolutiones cuiuscumque commissionis iam in scriptis redactæ, in loco apto collocentur, ut ab omnibus vocalibus ante sessiones plenarias inspici possint;*

3° *postea incipiant, moderante præside capituli, sessiones plenariæ omnium vocalium quorum erit determinare quæ ex conclusionibus commissionum retinenda sint ut a diffinitoribus definiri possint.*

§ IV. — *His omnibus peractis, præses cum diffinitoribus omnia tractent et diffiniant quæ necessaria vel utilia iudicent, ita tamen ut quæ a maioritate vocalium reiecta sunt diffinire non possint.*

§ V. — *Ad diffinitorium quoque pertinet:*

1° *facere admonitiones, ordinationes, declarationes ac petitiones;*

2° *assignationes dare et providere de officiis vel muneribus et aliis ad normam legum nostrarum.*

359. — *In capitulo provinciali omnia ordinarie decidantur per vota secreta. Si suffragia aliquando sint æqualia, præses suo voto paritatem dirimat.*

360. — *Præsidi et diffinitoribus competit plena potestas ordinaria ad normam iuris super totam provinciam, conventus et fratres, usque ad finem capituli, salvo n. 361 § II.*

361. — § I. — *Capitulum intra mensem terminetur. De consensu autem magistri Ordinis, in casu speciali, per quindecim dies prorogari potest.*

§ II. — *Capitulum iusta de causa a magistro Ordinis adprobata, non ultra quindecim dies interrumpi potest. Interruptione durante, potestas de qua in n. 360 priori provinciali competit.*

362. — § I. — *Ab actuario conficiatur uniuscuiusque sessionis processus verbalis, qui, a capitulo adprobatus et a præside ac eodem actuario subscriptus, in archivo provinciæ reponatur.*

§ II. — *Locus et dies pro futuro capitulo provinciali in actis assignentur.*

§ III. — *Nomina fratrum defunctorum, quibus brevis synopsis eorum vitæ addatur, in actis ponantur.*

§ IV. — *Acta lingua latina vel moderna a consilio generalitio acceptata scribantur et eorum quinque exemplaria cum præsidis, diffinitorum et actuarii subscriptione et sigillo provinciæ munita, quantum ad magistrum Ordinis mittantur, ut possint examinari et adprobari.*

Si acta non scribantur in una ex linguis a consilio generalitio acceptatis, versio fiat in linguam latinam vel in unam ex istis linguis, cuius versionis quinque exemplaria ad magistrum Ordinis mittantur, additis duobus exemplaribus in lingua originali.

Magister, correctionibus factis, una cum textu ad provinciam mittat litteras adprobationis. Unum exemplar actorum pro archivo

Ordinis, alterum pro publicatione compendiosa in Analectis Ordinis, mittatur.

363. — § I. — *Ante adprobationem magistri Ordinis acta ne publicentur. Adprobata vero typis edantur, lingua vel vernacula vel latina, a priore provinciali promulgentur et ad conventus mittantur. Insuper in unoquoque conventu publice legantur, iuxta determinationem eiusdem capituli.*

§ II. — *Actorum auctoritas incipit a promulgatione et terminatur cum promulgatione actorum capituli sequentis.*

364. — *Prior provincialis acta capituli mutare aut rescindere non valet, nec talis auctoritas potest ei a diffinitoribus delegari; potest tamen acta capituli interpretari, et in casu particulari in eis dispensare.*

Art. IV – DE CONSILIO PROVINCIÆ

365. — *Adsit in qualibet provincia consilium provinciæ, eiusque consensum aut consilium exquirat prior provincialis secundum leges nostras et ius commune.*

366. — *Ad consilium provinciæ pertinent, dummodo in provincia sint assignati aut sint filii provinciæ in conventibus assignati sub immediata iurisdictione magistri Ordinis non tamen ad consilium generalitium pertinentes:*

1° *ex-prior provincialis immediate ab officio cessans;*

2° *regens studiorum;*

3° *socius prioris provincialis;*

4° *diffinitores ultimi capituli provincialis, usque ad sequens capitulum;*

5° *consilarii forte electi a capitulo provinciali (cf. n. 519 § II), usque ad sequens capitulum.*

367. — *Secretarius consilii, ab eodem unico scrutinio electus, si non sit ex membris, votum non habet et ad secretum tenetur sicut alii. Res deliberatas et resolutiones consilii in libro ad hoc deputato conscribat.*

368. — § I. — *Consiliiarii amoveri aut muneri suo renuntiare non possunt nisi de consensu magistri Ordinis. Si consiliarium ab officio cessare contingat extra capitulum provinciale, novus consiliarius a capitulo provinciali indicatus, illi substituatur, adprobante magistro Ordinis.*

§ II. — *Ad consilium omnes convocandi sunt et deliberationibus adsint, nisi ex iusta causa a priore provinciali dispensentur.*

369. — § I. — *Præses et consiliiarii ordinarie in loco celebrationis consilii corporaliter adsint. In casibus tamen exceptionalibus et urgentioribus, consilium per instrumenta telematica celebrari potest, dummodo inter participantes verum colloquium haberi possit et scrutinia fidelia, tuta et ordinarie secreta maneant, servato præscripto n. 455-ter § IV, 3° et 4°. Si nec celebratio telematica fieri potest, quando plures adesse non possunt, sufficit ut præter præsidem consilii adsint saltem duo consiliiarii. [♦ K 323]*

§ II. — *Quando agitur de rebus ad studium, ad professores et ad studentes pertinentibus, etiam quoad scholam apostolicam, semper adsit regens et moderator centri studiorum institutionalium.*

370. — § I. — *Syndicus provinciæ semper vocetur ad deliberationes consilii participandas, quin tamen votum habeat, nisi iam sit membrum eiusdem.*

§ II. — *Consilio semper adsint, ut audiantur, magistri novitorum, studentium et fratrum cooperatorum, directores scholarum et collegiorum, et alii officiales provinciæ quando de rebus ad eorum officium pertinentibus agitur.*

§ III. — *Adsit etiam superior quando de re maioris momenti tractatur quæ ad eius communitatem spectat.*

371. — *Ne quid ex abrupto decernendum proponatur, consilarii tempestive certiores fiant de omnibus tractandis, nisi aliqua decisio urgeat.*

372. — § I. — *Munus consilii provinciæ est priorem provinciam adiuvare in officio rite adimplendo, præcipue in iis quæ a capitulo provinciali statuta fuerunt et decursu temporis opportuna vel necessaria videbuntur ad apostolatam et ad vitam regularem promovendam.*

§ II. — *In consilio provinciæ negotia graviora decerni debent voto decisivo nisi aliter in legibus nostris determinatum fuerit.*

§ III. — *Si suffragia aliquando fuerint æqualia, præses suo voto paritatem dirimat (cf. appendicem n. 14-bis).*

373. — *Inter alia, in consilio provinciæ tractari debent:*

1° *institutio vel amotio vicarii provincialis et prioris conventualis;*

2° *præsentatio vel amotio parochi;*

3° *erectio domus in conventum, ad normam n. 262;*

4° *cassatio decisionis consilii vel capituli conventualis exclusis consiliariis in illo conventu assignatis;*

5° *transfiliatio fratris;*

6° *exclusio fratris a voce activa gravi de causa ad tempus facienda;*

7° *declaratio facti ad dimissionem fratris ad normam iuris (CIC 694 § 2).*

374. — *Quæ ex iure nostro diffinitorio capituli provincialis competunt, a priore provinciali cum suo consilio pertractari et decerni possunt si extra capitulum necessitas urget, salvois nn. 279 § II, 358 § IV.*

375. — § I. — *Tempore primæ sessionis consilii provinciæ quæ elapso biennio post prioris provincialis confirmationem locum habebit,*

prior provincialis convocare tenetur ad consilium amplius, præter membra consilii provinciæ, vicarios provinciales et priores conventuales stricto sensu; statutum autem provinciæ determinare potest an vicarii provinciales et priores a dissitis regionibus convocandi sint, necnon alios forte convocandos definire.

§ II. — *In hoc consilio ampliori, quod voto gaudet tantum consultivo, tractanda sunt omnia quæ ad bonum provinciæ utilia videbuntur, et in primis inspiciatur an ad praxim reductæ sint ordinationes et exhortationes ultimi capituli provincialis et generalis. [♦ T 346 ♦♦ K 324]*

Art. V — DE OFFICIALIBUS PROVINCIÆ

376. — § I. — *Sit in qualibet provincia socius prioris provincialis qui in regimine provinciæ adiutorium ei præbeat.*

§ II. — *Socius sit presbyter qui trigesimum saltem ætatis annum iam attigerit.*

§ III. — *Instituatur a priore provinciali de consensu diffinitorii capituli provincialis.*

377. — *Socius ordinarie non sit superior localis nec parochus.*

378. — § I. — *In qualibet provincia sit syndicus qui de bonis provinciæ curam habeat secundum normas pro administratione statutas.*

§ II. — *Frater qui hoc officio functus fuerit, immediate potest iterum institui, non autem tertio, nisi de consensu magistri Ordinis.*

379. — *Nec prior provincialis nec superior localis munere syndici provinciæ fungi possunt.*

380. — *Ad capitulum provinciale pertinet instituere diversos officiales iuxta exigentias cuiusque provinciæ eorumque munera determinare.*

381. — *Archivista, a capitulo provinciali institutus, curam habet de archivo provinciæ in quo deponantur:*

1° *documenta quæ, sive apud priorem provincialem sive apud officiales servata, pro regimine ordinario amplius necessaria non sunt;*

2° *documenta conventuum suppressorum;*

3° *scripta inedita, epistolæ vel alia documenta fratrum defunctorum aut etiam extraneorum, quæ pro historia provinciæ alicuius momenti apparent.*

382. — *Prior provincialis habeat archivum secretum in quo servantur documenta secreta, de quorum merito successorem suum certiore reddere tenetur. Elapsis septuaginta annis post mortem fratrum de quibus in documentis agitur, ista comburantur, dummodo hoc fieri queat sine præiudicio erga eos qui adhuc vivunt, attentis dispositionibus iuris civilis.*

383. — *Documenta ad regimen et administrationem actualem provinciæ spectantia, sive apud secretariatum provinciæ, sive apud respectivos officiales servanda sunt (cf. appendicem n. 15).*

Art. VI – DE VICARIATIBUS PROVINCIALIBUS

384. — § I. – *Quando provincia habet extra suum territorium in aliqua natione vel regione saltem duas domus quarum unum conventum proprie dictum, et saltem quindecim vocales, capitulum provinciale eos coadunare potest in vicariatum provinciale, ut activitas apostolica et vita regularis fratrum ibi melius coordinari possint.*

§ II. — Vicariatus provincialis regitur statuto a capitulo provinciali confecto et a magistro Ordinis adprobato.

384-bis. — *Vicariatus statutum normas determinare debet:*

1° *de celebratione capituli vicariatus;*

2° *de officio vicarii provinciali qui præest vicariatus ut vicarius prioris provincialis;*

3° *de officialibus vicariatus;*

4° *de institutione ac promotione vocationum;*

5° *de iure participandi ex officio consilio provinciæ et capitulo provinciali (cf. 352 § I, 1°), cum voce activa vel non;*

6° *de facultatibus quas vicario prior provincialis, audito consilio, concedere potest, de admissione candidatum ad novitiatum et ad professionem simplicem, de assignatione fratrum in domum et conventum vicariatus, de confirmatione priorum conventualium et institutione superiorum domorum.*

385. — *vacat.*

386. — § I. — *In unoquoque vicariatu adsit consilium, cuius consensus vel consilium vicarius provincialis circa maiora negotia exquirat, ad normam statuti vicariatus. Acta huius consilii post coadunationem priori provinciali mittenda sunt.*

§ II. — *Numerus et modus electionis vel institutionis horum consiliariorum a statuto vicariatus determinentur.*

§ III. — *Cum autem prior provincialis, secundum normas in Libro Constitutionum et Ordinationum vel in statuto provinciæ et vicariatus stabilitas, tractare debet cum consilio provinciæ de rebus quæ vicariatum respiciunt, etiam consilium vicariatus consulat; casus vero confirmandi, instituendi vel amovendi vicarium provincialem prior provincialis tantummodo in consilio provinciæ tractet (cf. n. 373, 1°).*

387. — *Omnes fratres, præsertim extra conventum vitam agentes, periodice coadunentur ad negotia vitæ apostolicæ et regularis pertractanda et si casus occurrat, ad quædam proposita facienda pro futuro capitulo provinciali.*

388. — *vacat.*

389. — *vacat.*

**Art. VII – DE COOPERATIONE INTER
PROVINCIAS**

390. — § I. — *Ad apostolatam Ordinis in servitium Ecclesiæ efficacius exercendum, oportet ut provinciæ quæ in eadem regione vel natione, præsertim quæ in territorio unius conferentiæ episcopalis existunt, non tantum occasionaliter sese adiuvent, sed etiam pro posse secundum quasdam normas ab iisdem acceptatas regulariter coeorentur.*

§ II. — *Idem dicendum est de domibus vel conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis ut collaboratio omnium entitatum Ordinis in unoquoque loco efficaciter attingatur.*

391. — *Ad collaborationem inter provincias unius regionis vel nationis fovendam haberi possunt:*

1° *colloquia periodica inter priores provinciales vel diversos officiales, ut magistros novitiorum, fratrum studentium et cooperatorum, regentes, professores, promotores, etc.;*

2° *sessiones vel commissiones interprovinciales pro problematum communium studio;*

3° *promotores nationales vel regionales pro diversis operibus;*

4° *novitatus vel studentatus communis vel centra communia, iuxta normas a magistro Ordinis adprobandas;*

5° conventio, de consensu magistri Ordinis ineunda, pro erectione conventuum interprovincialium, necnon pro assignationibus faciendis de una provincia ad alteram.

6° conventio duorum capitulorum provincialium vel priorum provincialium ad directam assignationem faciendam de provincia ad conventum alius provinciæ, salvois nn. 270 § I et II, 497 § I et 600, monito tamen magistro Ordinis (cf. appendicem n. 16). Talis conventio recognatur saltem in quinquennio a prioribus provincialibus quibus interest.

392. — Si contigerit capitula provincialia unius regionis eodem tempore teneri, eorum diffinitoria cœtum communem per aliquot dies habere possunt, ad admonitiones, declarationes vel ordinationes communes promulgandas.

393. — § I. — Ubi provincia vel vice-provincia iam est constituta et sodales aliarum provinciarum ad ministerium apostolicum exercendum ibi mittuntur, opus eorum ordinandum est in collaboratione cum provincia vel vice-provincia huius territorii, ita ut uniti in eodem spiritu et vita efficaciter simul cooperentur præsertim pro coordinatione apostolatus in territorio atque de bono communi solliciti progressum Ordinis in regione promoveant.

§ II. — Ad hanc cooperationem fovendam opportunæ normæ in scriptis inter provincias loci et illam quæ in territoriis fratres habet ministerium exercentes statuuntur de consensu capituli vel consilii utriusque provinciæ, et a magistro Ordinis adprobentur. Hæ normæ revideri ac ponderari debent unoquoque quarto anno ab eis quorum interest, ita ut habeant actualitatem secundum necessitates pastorales ecclesiæ localis.

394. — Ut opus evangelizationis plenius exerceatur et fundatio novæ provinciæ gradatim præparetur, fratres ad diversas provincias pertinentes qui in eadem regione ubi nulla provincia erecta est adlaborant, mutua collaboratione et si possibile sit unica sub directione mi-

nisterium apostolicum exercere satagant, iuxta normas a respectivis provinciis communi consilio statutas. Hæ normæ revideri ac ponderari debent unoquoque quarto anno ab eis quorum interest, ut actualizentur.

395. — § I. — *Conferentiæ priorum provincialium atque vicariorum instituantur secundum nationes vel regiones, ut fraterna collaboratio sit vere organizata et cum caractere permanenti. Hæ conferentiæ adunentur regulariter secundum normas a membris entitatum statutas et a magistro Ordinis adprobatas.*

§ II. — *Ad fovendas has relationes mutuas, socii magistri Ordinis has regiones frequenter visitent et per aliquod tempus ibi remaneant. Informent magistrum Ordinis et capitulum generale tempore opportuno de activitatibus et progressu ibi factis.*

CAPUT XV

DE REGIMINE TOTIUS ORDINIS

Art. I — DE MAGISTRO ORDINIS

396. — *Magister Ordinis, cum sit successor s. Dominici et principium unitatis Ordinis, est proprius et immediatus prælatus omnium fratrum, conventuum et provinciarum vi professionis obœdientiæ sibi a singulis sodalibus factæ.*

397. — *Officium suum obtinet per electionem canonicam, et in eo perdurat per novem annos. Tempus computatur a capitulo electivo usque ad sequens capitulum electivum, neglectis paucis mensibus, semestre tamen non excedentibus, qui ad integritatem novem annorum desunt aut superfluunt.*

398. — § I. — Magister Ordinis, gravi de causa, potest priores provinciales ac conventuales et quoscumque officiales, necnon priorissas monasteriorum Ordini subiectorum, instituere ac destituere, eorumque officia et auctoritates limitare, eaque agere in Ordine quæ ipse et diffinitores capituli generalis iuxta leges nostras agere possunt.

§ II. — Durante suo munere magister Ordinis per se vel per socios aut per alios bis saltem Ordinem universum visitare tenetur.

§ III. — Magister Ordinis non potest cedere iura officii sui in præiudicium suorum successorum.

399. — *Quotiescumque in litteris aut rescriptis magistri Ordinis ponitur auctoritate officii nostri, aut alia huic æquivalens clausula, hæc complecti censeatur tum ordinariam tum aliam quamlibet auctoritatem officio delegatam.*

400. — Magister Ordinis potest in sui adiutorium instituere vicarios sive super totum Ordinem sive super unam vel plures regiones, unam vel plures provincias, unum vel plures conventus.

401. — § I. — Vicarius super totum Ordinem habet potestatem ac ipse magister, nisi aliud iure aut litteris institutionis caveatur. Alii vicarii eam habent auctoritatem quam ipse magister determinaverit.

§ II. — Omnes perdurant in officio quousque a magistro Ordinis revocati fuerint.

§ III. — Cessante magistro Ordinis, officium vicarii super totum Ordinem expirat; officium vero aliorum vicariorum, perdurat quousque per novum magistrum aliter dispositum fuerit.

Art. II – DE VICARIO ORDINIS

402. — Vicarius Ordinis est ille qui, magistro ab officio extra capitulum cessante, vices magistri Ordinis obtinet quousque magister sit electus.

403. — Mortuo magistro vel ab officio amoto, primus socius secundum ordinem professionis ipso iure habet potestatem quæ competit vicario Ordinis. Debet tamen consilium generalium coadunare ut inter socios vicarius Ordinis eligatur.

404. — § I. — Ad vicarium Ordinis electum pertinet vocales ad futuri magistri electionem convocare, capitulum generale præparare (cf. n. 415) et electioni eiusdem magistri præsidere.

§ II. — Non potest socios præcedentis magistri, nec priores sive provinciales sive conventuales ab officio absolvere, aut instituere novum socium nec aliquid mutare circa statum Ordinis.

Art. III – DE CAPITULO GENERALI

405. — Capitulum generale, quod summam auctoritatem habet in Ordine, est coadunatio fratrum provincias repræsentantium, ad tractandum et diffiniendum quæ ad bonum totius Ordinis pertinent et si casus occurrat ad eligendum magistrum Ordinis.

406. — Tria distinguuntur in Ordine capitula generalia: capitulum electivum, capitulum diffinitorum, capitulum priorum provincialium.

407. — In capitulo generali electivo coadunantur et vocem habent:

§ I. — In electione magistri Ordinis:

1° ex-magistri Ordinis;

2° singuli priores provinciales;

3° ex quacumque provincia, diffinitor capituli generalis;

4° priores vice-provinciales;

5° ex provinciis saltem centum religiosos professos habentibus, exclusis autem iis in conventibus vicariatuum assignatis, iisque directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, socius diffinitoris capituli generalis;

6° ex provinciis saltem quadringentos religiosos professos habentibus, exclusis autem iis in conventibus vicariatuum assignatis, iisque directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, etiam socius prioris provincialis euntis ad capitulum generale;

7° ex provincia habente saltem viginti quinque usque ad centum fratres assignatos in conventibus vicariatuum assignatis vel conventibus ipsius provinciæ extra fines provinciæ, delegatus electus ex iis et ab iis, secundum statutum provinciæ; ex provincia vero habente a 101 ad 200 fratres in conventibus vicariatuum assignatos, alter eligatur delegatus; et sic deinceps;

8° ex fratribus directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, duo delegati si cuncti fratres professi sint minus quam centum, tres vero si sint centum vel plus, selecti ad normam n. 407-bis.

§ II. – In negotiis tractandis, post electionem magistri:

1° magister Ordinis nuper electus;

2° ex-magistri Ordinis;

3° omnes de quibus supra in § I, 2°–8°.

407-bis. — Ad electionem delegatorum euntium ad capitulum generale electivum, conventus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis ita inter se a consilio generalitio aggregentur, ut duo vel tria collegia electiva constituent, iuxta numerum delegatorum eligendorum. Unumquodque collegium ex viginti

quinque saltem vocalibus constet. Idem consilium generalitium de modo hanc electionem faciendi provideat.

408. — In capitulo generali diffinitorum coadunantur et vocem habent:

1° magister Ordinis;

2° ex-magistri Ordinis;

3° diffinitores a singulis provinciis electi;

4° delegati a singulis vice-provinciis electi;

5° delegati vicariatuum provincialium, selecti ad normam n. 409-bis, exclusis vero vicariis provincialibus;

6° ex fratribus directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, unus delegatus si cuncti fratres professi sint minus quam centum, duo vero si sint centum vel plus, selecti ad normam n. 409-ter.

409. — In capitulo generali priorum provincialium coadunantur et vocem habent:

1° magister Ordinis;

2° ex-magistri Ordinis;

3° singuli priores provinciales;

4° singuli vice-provinciales;

5° delegati vicariatuum provincialium, selecti ex vicariis provincialibus ad normam n. 409-bis;

6° ex fratribus directe assignatis sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, unus delegatus si cuncti fratres professi sint minus quam centum, duo vero si sint centum vel plus, selecti ad normam n. 409-ter.

409-bis. — Singulae provinciae quae habent viginti quinque saltem fratres assignatos in conventibus vicariatuum vel conventibus ipsius provinciae extra fines provinciae, ius habent mittendi unum delegatum, electum ex iis et ab iis, secundum statutum provinciae, ad capitulum generale aut diffinitorum aut

priorum provincialium (cf. appendicem n. 17). Selectio huiusmodi tali modo a magistro Ordinis cum suo consilio fiat, ut dimidia pars provincialiarum in uno capitulo et altera dimidia pars in altero repræsentetur.

409-ter. — Ad electionem delegatorum euntium ad capitulum generale diffinitorum vel priorum provincialium, omnes conventus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis ita inter se a consilio generalitio aggregentur, ut collegia electiva constituent (prout unus vel duo delegati pro unoquoque capitulo eligendi sunt). Unumquodque horum collegiorum ex viginti quinque saltem vocalibus constet. Consilium generalitium de modo hanc electionem faciendi provideat.

410. — § I. — Adsunt aliqui ex sociis magistri Ordinis ab ipso magistro designati et syndicus Ordinis qui ius habent ad loquendum, quin tamen votum habeant.

§ II. — Convocari et audiri possunt, quin tamen votum habeant, delegatus ex unoquoque conventu permanentemente sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, et quidam periti ab eodem magistro designati.

411. — § I. — Capitulum generale habeatur:

1° quolibet triennio;

2° quotiescumque vacaverit officium magistri Ordinis.

§ II. — Potest capitulum, si opportunum duxerit, sequens capitulum infra brevius tempus indicere.

412. — Ordo capitulorum hic est: capitulum electivum, capitulum diffinitorum, capitulum priorum provincialium, et sic deinceps.

A capitulo electionis nova series capitulorum secundum ordinem præfatum incipit, etiamsi ante novennium expletum electio magistri facienda est.

413. — § I. — *Locus et tempus capituli a præcedente capitulo determinentur. Dies pro inceptione capituli assignata non differatur aut acceleratur ultra sex menses, nisi de consensu maioris partis provincialiarum.*

§ II. — *Capitulum generale convocetur a magistro vel vicario Ordinis per litteras circulares octo menses ante diem celebrationis capituli. In ipsis indicentur preces pro bono exitu capituli.*

§ III. — *Vacante officio magistri Ordinis, capitulum electivum convocetur infra mensem a die vacationis. Si vero adsit ratio gravis et maior pars provincialiarum consenserit, poterit hoc tempus prorogari sed non ultra sex menses.*

§ IV. — *De consensu sui consilii magister vel vicarius Ordinis potest iusta de causa immutare designationem loci pro futuro capitulo generali.*

414. — *Magister Ordinis instituat secretarium generalem capituli qui curam habeat de omnibus quæ præparationem et ordinationem capituli attinent.*

415. — § I. — *Facta convocatione, fratres quibus ius competit, ad magistrum vel vicarium Ordinis transmittant petitiones vel quæstiones, quas capitulo velint proponere.*

§ II. — *Ius proponendi competit, præterquam vocalibus capituli:*

1° *omnibus superioribus maioribus, sociis magistri Ordinis et procuratori generali;*

2° *cuilibet capitulo et consilio necnon moderatorio centri studiorum;*

3° *cuique religioso, dummodo eius propositio a quinque saltem fratribus voce activa gaudentibus subsignata fuerit, vel præsentetur per aliquem ex vocalibus cuius erit iudicare utrum petitio proponi debeat necne;*

4° *monasteriis vel fæderationibus monialium nostrarum; consiliis provincialibus vel nationalibus fraternitatum S. Dominici.*

§ III. – *Consilia generalitia vel fæderationes congregationum Ordini aggregatarum desideria et suggestiones relate ad familiam domnicanam capitulo generali proponere possunt.*

§ IV. – 1° *Quæstiones capitulo generali proponendæ, ab iis quibus ius vel facultas competit, ad magistrum Ordinis mittantur sex mensibus ante celebrationem capituli;*

2° *breviter exponantur lingua latina vel moderna a consilio generalitio acceptata, atque tot in foliis separatis proponantur quot distinctæ sint quæstiones.*

§ V. – 1° *Magister Ordinis curabit ut quæstiones, de quibus in § IV, 1° pro diversa materia diversis commissionibus assignatæ, quamprimum singulis membris capituli communicentur;*

2° *membra harum commissionum sunt: fratres vocem habentes (ad normam nn. 407–409-bis) et socii magistri Ordinis (ad normam n. 410);*

3° *hi omnes statim magistro Ordinis indicent, secundum ordinem præferentiæ, tres commissiones ad quas pertinere desiderant, salvo semper iure magistro Ordinis secundum necessitates capituli libere disponendi;*

4° *deinde magister Ordinis præsides commissionum instituat et capitulares certiores faciat de commissione cui unusquisque adscriptus fuit ut interim hi quæstiones accuratius perpendant quæ ad propriam commissionem assignatæ sunt.*

416. – *Ante bimestre quod præcedit capituli generalis celebrationem singuli priores provinciales mittant ad magistrum Ordinis relationem criticam, a consilio provinciali adprobatam, circa statum provinciæ secundum schema ad hoc a consilio generalitio exaratum, in qua graviora problemata et aspectus statistici distincte illustrentur. Exemplar huius relationis singulis vocalibus in capitulo distribuatur.*

417. – *Capitulum generale, præside magistro vel vicario Ordinis, sequenti modo celebretur:*

§ I. – Die ante inceptionem capituli:

1° examinentur testimoniales vocalium a tribus fratribus a præs-
ide designatis, sic tamen ut de gravioribus difficultatibus referre de-
beant vocalibus capituli;

2° designentur a præs-ide duo saltem actuarii qui ab aliis scripto-
ribus adiuvari possunt;

3° designentur ex vocalibus, de consensu capituli, tres revisores
quorum erit tempestive textus acceptatos comprobare;

4° præs-ides, audito capitulo, confirmet distributionem iam factam
inter varias commissiones, quam, si opportunum duxerit, mutare po-
terit.

§ II. – Capitulum incipiat cum celebratione Missæ de Spiritu
Sancto. Post homiliam fiant, in oratione fidelium, deprecationes pro
felici exitu capituli, pro vivis et defunctis.

1° In prima sessione plenaria capituli generalis tractetur de
modo procedendi;

2° commissiones laborem suum incipiunt. Præs-ides uniuscuiusque
commissionis, audito ceterorum voto, secretarium designet ex vocali-
bus vel ex aliis participantibus, qui accurate processus verbales con-
scribat; commissio omnia negotia pertractet et concludat per vota pu-
blica vel secreta; præs-ides vero commissionis præs-idi capituli referat
necnon eidem capitulo in plenariis sessionibus. Resolutiones autem
cuiusque commissionis, in scriptis redactæ, omnibus vocalibus nec-
non aliis participantibus ante sessiones plenarias distribuantur;

3° magister rationem reddat de statu Ordinis;

4° magister relationem de acceptis et expensis personalibus tra-
dat commissioni de administratione æconomica, quæ de ea capitulum
certius faciat;

5° in capitulo electivo, die quinta ab inceptione eiusdem capituli,
procedatur ad electionem magistri Ordinis;

6° vocales cum magistro negotia tractent et diffiniant, servata
votorum maioriata, et quidem per suffragium secretum quando præs-
ides vel notabilis vocalium pars id petierit. Quod si partes æquales fue-

rint, res ad ulterius examen et novam votationem remittatur. Si tunc iterum habeatur æqualitas, præses capituli suo voto paritatem dirimat. Quæstiones resolvantur per viam admonitionis, declarationis aut ordinationis, et si nova constitutio sit facienda expressis verbis fiat;

7° vocales quæstiones discutiendas proponere possunt etiam tempore celebrationis capituli; determinant tempus tractandorum;

8° sessio a solis vocalibus tenetur si tertia pars capitularium aut prævie illud petivit, aut aliquo petente per votum approbavit;

9° infra duos dies post quamlibet sessionem processus verbales necnon textus acceptati et a revisoribus comprobati, in loco apto collocentur ut ab omnibus inspici possint. Si vero oriatur dubium circa textum acceptatum, revisores quamprimum rem ad capitulum deferant;

10° in actis notetur tempus et locus proximi capituli;

11° acta durante capitulo conficiantur et a præside, revisoribus et actuariis subscribantur.

§ III. – Magister, si eum a capitulo abesse contigerit, instituat vicarium ex vocalibus assumptum qui suas vices in omnibus gerat.

§ IV. – In Capitulo Generali, præter linguam Latinam, linguæ de quibus in n. 438-quater adhiberi possunt.

418. — § I. — *Districte prohibetur ne priores provinciales diffinitoribus vel diffinitores prioribus provincialibus per suas diffinitiones præiudicium aliquod audeant generare. Quod si facere attentaverint, irritum sit et inane.*

§ II. – Secretum capituli ab omnibus participantibus servandum est quoad ea quæ damnum seu præiudicium Ordini vel fratribus afferre possunt. Præses autem determinare potest si quid aliud sub secreto servandum erit.

419. — § I. — *Processus verbales sessionum a magistro Ordinis et actuariis subscripti, una cum documentis ad ipsum capitulum pertinentibus, in archivo Ordinis reponantur.*

§ II. – Acta capituli, typis edita, ad omnes provincias quantocius mittantur; in singulis Ordinis conventibus saltem in duplici exemplari habeantur, et, prout ab ipso capitulo determinatum fuerit, legantur.

420. — Magister Ordinis non potest mutare acta et decreta capitularia, sed potest, et quidem solus, in illis dispensare ea-que declarare.

Art. IV – DE CAPITULO GENERALISSIMO

421. — Capitulum generalissimum (cf. n. 276 § II) constituunt magister Ordinis, ex-magistri Ordinis, priores provinciales et duo diffinitores ex qualibet provincia a capitulo provinciali electi.

422. — Duo diffinitores capituli generalissimi:

1° debent eligi ad hoc, vel in capitulo provinciali vel in capitulo extraordinario electivo;

2° easdem habeant condiciones ac diffinitores capituli generalis, excepto quod eligi possunt qui in capitulo generali immediate præcedenti diffinierunt.

423. — § I. – Capitulum generalissimum non convocetur, nisi maior pars provinciarum illud petierit et duobus annis antea annuntietur, nisi urgens fuerit necessitas.

§ II. – In convocatione, præparatione et celebratione serventur præscripta pro capitulis generalibus.

Art. V – DE CONSILIO GENERALITIO

424. — § I. – Consilium generalitium constituitur præside magistro vel vicario Ordinis aut eorum vicario, ex sociis magistri Ordinis et procuratore generali, quorum consensus vel con-

silium exquirendum est secundum leges nostras et ius commune (cf. appendicem n. 14-bis).

§ II. – Magister Ordinis potest consiliarios convocare ad eorum consilium et opinionem exquirenda quando sibi bene visum fuerit etiamsi a nulla lege requiratur.

Art. VI – DE SOCIIS MAGISTRI ORDINIS

425. — § I. – Socii adiuvant magistrum Ordinis in exercitio sui muneris super totum Ordinem; eorum consensu vel consilio magister Ordinem regit, tractando et decernendo quæstiones maioris momenti pro vita totius Ordinis.

§ II. – Socii magistri Ordinis sunt non minus quam octo et non plus quam decem. Ex eis tres præponuntur negotiis quæ respective apostolatam, vitam intellectualem et vitam fraternam ac formationem in Ordine respiciunt, aliis cura confertur de relatione provinciarum cum Ordine et de aliis materiis forte a magistro Ordinis ipsis commissis (cf. n. 428).

426. — *Ad socium pro apostolatu in Ordine præcipue hæc pertinent:*

1° adiuuare magistrum Ordinis in omnibus quæ ad ministerium verbi spectant;

2° curam habere pro toto Ordine de problematibus exsurgentibus circa vitam apostolicam et evangelizationem;

3° tamquam munus speciale circa missiones Ordinis habet negotia earum apud Sanctam Sedem pertractare, magistrum Ordinis in regimine missionum adiuuare, informationes missionales colligere et communicare.

427. — § I. – *Ad socium pro vita intellectuali in Ordine præcipue hæc pertinent:*

1° *adiuvare magistrum Ordinis in promotione missionis doctrinalis Ordinis, secundum n. 90 § II;*

2° *omnes provincias adiuvaré ut optime provideant de fratrum formatione intellectuali tam initiali quam permanenti;*

3° *curam habere de omnibus quæ ad studiorum centra sub immediata iurisdictione magistri Ordinis pertinent, inclusis Institutis scientificis et Commissione sic dicta Leonina;*

4° *opportunitis temporibus regentes et promotores unius vel plurium regionum congregare, congressus fovère etc.;*

5° *negotia de studiis in Ordine apud Sanctam Sedem pertractare.*

§ II. — *Socio pro vita intellectuali ne imponantur alia officia quæ eum in exercitio sui muneris impediunt.*

427-bis. — *Ad socium pro vita fraterna ac formatione in Ordine præcipue hæc pertinent:*

1° *adiuvare magistrum Ordinis in omnibus quæ pertinent ad vitam fraternam et ad formationem religiosam fratrum, sive permanentem sive initialem;*

2° *omnes provincias adiuvaré ut provideant formationi religiosæ fratrum et florentiæ vitæ fraternæ;*

3° *quando oporteat, congregare simul magistros fratrum formationis initialis curam habentes sicut et promotores formationis permanentis unius vel plurium regionum;*

4° *faciliores reddere provinciis innovationem et formationem formatorum, sicut et augmentum et executionem planificationum provincialium ad formationem permanentem spectantium.*

428. — § I. — *Alii socii mutuas relationes provincialiarum cum magistro Ordinis fovent, illumque adiuvant communicando decisiones necnon directivas normas regiminis centralis provinciis sibi addictis, illasque bene cognoscendo et, iuxta dispositiones magistri Ordinis, as-*

sidue frequentando et etiam illius vice visitandi. Super singulas provincias tamen nulla potestate gaudent.

§ II. — *Eorum munus præcipuum est provincias adiuuare et inter illas eiusdem regionis collaborationem promovere, in praxim reducendo ea quæ de hoc in nn. 390–395 dicuntur. Præponi etiam possunt, de iudicio magistri Ordinis, aliquibus Secretariatibus.*

429. — § I. — *Omnes socii instituuntur a magistro Ordinis, manent in munere ad sexennium, possunt tamen ad alterum sexennium iterum institui; semper relicta novo magistro Ordinis libertate fratres ad consilium generalitium pertinentes mutandi.*

§ II. — *Institutio sociorum pro apostolatu, pro vita intellectuali et pro vita fraterna ac formatione fiat auditis omnibus prioribus provincialibus.*

§ III. — *Institutio sociorum pro relationibus provinciarum cum magistro Ordinis fiat auditis prioribus provincialibus quibus interest, qui, prius inter se de hoc convenientes, tria nomina ipsi magistro Ordinis præsentent. Magister Ordinis tenetur unum ex his tribus instituere vel denuo tria nomina præsentari petere.*

430. — *Tres saltem menses ante inceptionem capituli generalis singuli socii mittant omnibus vocalibus capituli generalis relationem criticam de gravioribus problematibus uniuscuiusque competentia.*

Art. VII – DE ALIIS OFFICIALIBUS CURIÆ GENERALITLÆ

431. — § I. — *Alii officiales curiæ generalitiæ sunt: procurator generalis, postulator generalis causarum beatificationis et canonizationis, secretarius generalis Ordinis, syndicus Ordinis, archivista, et promotores generales. Adesse etiam possunt pro magistro Ordinis et curia aliqui periti et collaboratores.*

Ex his officialibus et peritis aliqui eligi possunt etiam inter socios magistri Ordinis.

§ II. – Ab ipso magistro Ordinis, audito suo consilio, instituuntur, et manent in munere ad sexennium; possunt tamen ad alterum sexennium iterum institui, semper relicta novo magistro Ordinis libertate fratres ad curiam generalitiam pertinentes mutandi.

§ III. – De institutione procuratoris et postulatoris generalis Sancta Sedes certior fiat.

432. — Officium procuratoris generalis est negotia apud Sanctam Sedem pertractare, secundum facultates a magistro Ordinis concessas.

433. — *Quilibet frater negotia propria, conventus vel provinciæ pertractat cum Sancta Sede mediante procuratore Ordinis cui competit hoc seroitium præbere, salvo semper iure cuiuslibet optata sua Romano Pontifici plena libertate patefacere (cf. Lumen Gentium n. 37), et salvis nn. 426, 3°, 427 § I, 5°, et 434, 1°.*

434. — *Postulator generalis causarum beatificationis et canonizationis:*

1° munere suo fungitur secundum normas a Sancta Sede stabilitas et statutum a magistro Ordinis adprobatum;

2° semel saltem quolibet anno magistro Ordinis rationem in scriptis reddat de statu œconomico, in qua pecunia accepta, expensæ, crediti et debiti compensatio, describantur;

3° de statu singularum causarum relationes transmittat cuilibet capitulo generali.

435. — *Secretarius generalis Ordinis:*

1° præest secretariatui generali;

2° munere fungitur secretarii consilii generalitii, quin tamen vocem habeat;

3° a secretario generali, pro capitulo generali celebrando instituto, sit distinctus.

436. — § I. — Syndicus Ordinis de omnibus bonis curam habet iuxta normas pro administratione statutas.

§ II. — Semper vocetur ad deliberationes consilii generalitii participandas, quin tamen votum habeat nisi iam sit membrum eiusdem.

437. — § I. — Archivista curam habet de archivo generali, ubi aservoantur documenta ad historiam Ordinis pertinentia, secundum normas pro archivo provinciæ, mutatis mutandis, supra stabilitas (nn. 381–383).

§ II. — In archivo Ordinis nullus nisi de archivistæ licentia speciali admittatur; extraneis vero, qui voluerint documenta recentioris ætatis inspicere, nihil communicentur nisi de licentia magistri Ordinis.

438. — Promotoris generalis monialium est:

1° magistrum Ordinis et procuratorem generalem adiuuare in negotiis moniales spectantibus;

2° informationes circa eas vel pro eis colligere et ipsis ac diversis provinciis communicare.

438-bis. — § I. — In curia generalitia immediate post magistrum Ordinis veniunt:

1° socii magistri Ordinis et inter se secundum ordinem professionis;

2° procurator generalis Ordinis;

3° reliqui fratres ad curiam pertinentes, et inter se secundum ordinem professionis.

§ II. — In capitulis vero generalibus socii locum habent secundum suum ordinem, immediate post priores provinciales.

§ III. — Nullus frater curiæ generalitiæ assignetur præter eos qui ad eam, secundum constitutiones, pertinent.

438-ter. — *In diversis institutis immediatæ iurisdictioni magistri Ordinis subiectis, præsidēs nominentur ad sexennium a magistro Ordinis, auditis membris ipsius instituti et sociis quorum interest. Ad idem autem officium reassumi possunt.*

438-quater. — *Documenta in lingua vulgari a Curia Generalitia pro toto Ordine edita in linguas Anglicam, Gallicam et Hispanicam vertenda sunt.*

SECTIO TERTIA
DE ELECTIONIBUS

CAPUT XVI
DE ELECTIONIBUS IN GENERE

Art. I – DE ELECTORIBUS ET DE
ELIGIBILIBUS

439. — In omni electione illi tantum suffragium ferre valent qui voce activa fruuntur in Ordine et ad capitulum electivum pertinent.

440. — Ut quis voce activa gaudeat, salvis condicionibus a iure communi assignatis, requiritur ut sit sollemniter professus.

441. — *Voce activa caret:*

1° *perdurante tempore indulti et per unum annum a die reditus, exclaustratus;*

2° *pendente petitione, ille cuius petitio exclaustationis vel sæcularizationis ad magistrum Ordinis a priore provinciali iam transmissa est;*

3° *ille qui licentiam a superiore maiore habet degendi extra conventum Ordinis (CIC 665 § 1), nisi hæc concessa sit causa infirmita-*

tis curandæ, ratione studiorum aut apostolatus exercendi nomine Ordinis;

4° *per quinque annos a die reditus, qui illegitime Ordinem deseruit, nisi prior provincialis cum suo consilio perspectis condicionibus hoc tempus prorogaverit vel etiam abbreviaverit, dummodo a die reditus sodalis rediens per tres saltem integros annos absque voce remanserit;*

5° *qui ista voce legitime privatus fuerit.*

442. — § I. — Nemo potest vocem activam in electione concedere alicui fratri qui ad capitulum electivum secundum leges nostras non pertinet aut voce activa caret.

§ II. — Infra bimestre ante electionem non fiant de facili affiliationes, assignationes, aut quorumcumque officiorum collationes, quæ ex se auferant vel conferant ius suffragii in aliquo capitulo.

443. — § I. — Ut quis voce passiva gaudeat, nisi aliter provi- sum fuerit, requiritur ut iam habeat vocem activam.

§ II. — Quando agitur de electione superiorum, ut quis eligi vel postulari possit, requiritur etiam:

1° ut sit presbyter;

2° ut tres annos habeat a professione sollemni;

3° ut ad audiendas confessiones actualiter probatus sit in Ordine.

444. — *Superiores maiores electoribus nullum eligendum proponant, nisi adsit necessitas, et tunc tres ad minus proponant, extra quos tamen liceat vocalibus alium eligere.*

Art. II – DE CONVOCATIONE ELECTORUM
EORUMQUE OBLIGATIONE SUFFRAGANDI

445. — § I. — Ad quamlibet electionem omnes vocales convocandi sunt ab eo qui de iure electioni præesse debet. In ipsa convocatione indicentur tempus et locus quibus electio facienda est. Defectus convocationis non obstat, si prætermitti nihilominus interfuerint, salvo *CIC* 166 § 3.

§ II. — Electio fiat intra tempus pro singulis officiis præscriptum, quo termino inutiliter elapso ius amittitur et provisio officii devolvitur ad competentem superiorem.

446. — § I. — Cum ius eligendi sit præsertim in bonum publicum Ordinis, omnes electores tenentur convocationi obtemperare.

§ II. — Qui sine iusta causa a superiore maiori adprobata, a suffragio ferendo abstinuit in electione superiorum, voce activa privatus manet pro quacumque electione per integrum annum, a die prædictæ abstentionis computandum.

447. — § I. — Elector de suo iure eligendi et de convocatione peracta certus, tenetur ad electionem accedere etsi convocationem non acceperit.

§ II. — Electores dubii, etiam sponte advenientes admitti debent ad electionem, sed cum protestatione.

Art. III – DE PRÆSIDE, ACTUARIO ET
SCRUTATORIBUS

448. — § I. — *In omni electione adsint præses, actarius et saltem duo scrutatores.*

§ II. — *Actarius, si non adsit a legibus nostris deputatus et exinde convocatus ac præsens, vel aliter institutus, eligatur ante om-*

nia in primo electionis congressu per vota secreta et unico scrutinio. Potest eligi etiam ex fratribus extra capitulum et ei dari adiutor ac substitutus eodem modo electus.

§ III. – *Actuarius vel adiutor debet singulis sessionibus interesse. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, præside ac scrutatoribus subscripta in capituli tabulario diligenter asservoentur.*

§ IV. – *In eodem congressu vel in initio sessionis pro electione eligantur ex vocalibus scrutatores per secretum suffragium, unico scrutinio et omnes simul.*

Art. IV – DE MODO SUFFRAGANDI

449. – § I. – *Excluso omni suffragio per procuratorem, soli electores præsentés suffragium ferre valent.*

§ II. – *Omnis electio fit per scrutinium seu per suffragia secreta in schedulis scripta, et quidem ab electoribus per seipsos, exclusa iure nostro electione per compromissum.*

§ III. – *Ad validitatem suffragii requiritur ut sit liberum, secretum, certum, determinatum, absolutum. (cf. CIC 172 § 1).*

§ IV. – *Ex iure nostro nemo validum suffragium sibimetipsi dare potest.*

450. – § I. – *Scrutinio legitime peracto, ille frater habeatur electus qui obtinuerit maioritatem absolutam, id est, quæ excedat medietatem suffragiorum, non computatis suffragiis nullis.*

§ II. – *Ad hanc maioritatem obtinendam, plura scrutinia possunt fieri; sed, nisi aliter provisum fuerit, electio terminatur in tertio scrutinio, in quo maioritas relativa sufficit.*

§ III. – *In scrutinio in quo terminatur electio et maioritas relativa sufficit, in casu æqualitatis suffragiorum, electus habeatur antiquior in Ordine.*

§ IV. – Quando agitur de postulatione, semper requiruntur saltem duæ tertiæ partes suffragiorum (CIC 181 § 1 et n. 297-bis). In casibus quibus in ultimo scrutinio, iuxta leges nostras, duo tantum præsentari possunt, quorum unus postulatione indiget, sed duas tertias partes suffragiorum non obtinuerit alter ut electus habeatur.

451. — *In electione superiorum, ipsa die electionis vel die præcedenti, celebretur missa de Spiritu Sancto, iuxta rubricas.*

452. — *In ipso actu electionis superiorum sic procedatur:*

1° *electoribus coadunatis tempore et loco statutis atque Spiritu Sancto invocato, præses, scrutatores et actuarius iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis etiam expleta electione;*

2° *actuarius proferat nomina singulorum qui debent iure adesse ut electores; ipsi vero respondeant, si adsint;*

3° *exceptiones, si quæ sint, contra admissionem vel exclusionem alicuius vocalis, debent tunc opponi;*

4° *præses in memoriam vocalium revocet quod suffragium sibi-metipsi nemo valide dare potest;*

5° *schedulis iam ab actuario distributis, vocales suffragium suum scribant, hoc modo: eligo vel postulo N.N. indicando nomen et cognomen. In omni casu adhibenda est formula completa: eligo vel postulo;*

6° *si quis ex vocalibus præsens in conventu ob infirmitatem in cella retineatur, tunc scrutatores illum simul adeant eiusque suffragium scriptum exquirant. Si infirmus vero scribere nequeat, potest alii suum suffragium scribendum committere aut etiam viva voce ipsis scrutatoribus manifestare a quibus tamen illud statim scripto consignetur;*

7° *scrutatores deinde vocales singillatim schedulam suam complicatam in urnam apertam deponant;*

8° *schedulæ a scrutatoribus enumerentur. Si numerus earum non excedat numerum eligentium, tunc explicentur; secus statim deleantur, et electores novam schedulam scribant;*

9° *scrutatores schedulas legant et suffragia adnotent;*

10° *scrutatores suas adnotationes inter se conferant et postquam easdem concordēs invenerint, schedulæ deleantur;*

11° *deinde præses legat alta voce nomina singulorum qui aliquod suffragium retulerint;*

12° *exceptiones, si quæ sint, contra formam ipsius actus electionis, debent tunc opponi;*

13° *de consensu maioritatis, processus electionis inter scrutinia interrumpi potest, sed ultimum scrutinium eadem die habeatur;*

14° *si maiortas requisita obtinetur, præses declaret fratrem N.N. canonicè electum vel postulatum in tale vel tale officium. Si præses electus fuerit, declaratio proferatur a primo scrutatore;*

15° *exceptiones, si quæ sint, contra personam electi, debent tunc opponi;*

16° *instrumentum electionis conficiatur a præside, a scrutatoribus et ab actuario subsignatum.*

453. — § I. — *Quando electio confirmatione indiget, instrumentum electionis conficiatur per modum processus verbalis, in duplici exemplari. Ibi adnotentur diversa scrutinia et etiam, si adfuerint, exceptiones contra validitatem electionis, dummodo tempore utili factæ fuerint (cf. n. 452, 3°, 12°, 15°). Unum exemplar ad confirmatorem mittatur; alterum vero in archivo conventus vel provinciæ asservetur (cf. appendicem n. 18).*

§ II. — *Quando autem electio confirmatione non indiget, unum exemplar electionis, prædicto modo subscriptum tradatur electo, salvis nn. 515 § V et 532, 3°, alterum vero una cum processu verbali in tabulario asservetur (cf. appendicem nn. 27, 28, 30).*

454. — Qui electionem confirmat, intendit sanare omnes defectus et pro postulatione dispensare ab omnibus impedimentis quæ sunt in sua potestate.

455. — *Litteræ confirmatoriæ non ad electum aut postulatum mittantur sed ad eius superiorem vel ad alium fratrem, qui eas ipsi tradant.*

455-bis. — § I. — *Si leges nostræ sic provideant, electio per litteras haberi potest iuxta normas sequentes:*

1° *infra tempus a præside statutum, quilibet vocalis suffragium suum in aliqua schedula scribat ad normam n. 452, 6°;*

2° *deinde, schedula in involucro intromissa, super ipsum involu-
crum bene clausum scribat manu propria suum nomen et locum resi-
dentia. Postea illud in alio involucro includat et mittat ad præsidem
cum alia inscriptione, tali modo quod possit de facili discerni.*

§ II. — *Elapso tempore præfixo pro receptione schedularum, præses cum consilio provinciali vel cum duobus scrutatoribus a consilio approbatis scrutinium faciat:*

1° *omnibus involucris externis coram consilio vel scrutatoribus apertis, examinentur nomina electorum super interiora involu-
crum scripta ad videndum utrum unusquisque eorum condiciones pro voce
activa requisitas habeat; si non habeat, pro nullo habeatur suffragium;*

2° *comparentur numeri vocalium et involucrorum;*

3° *involucri aperiuntur et, antequam schedulæ explicentur, ipsa
deleantur;*

4° *examinentur suffragia ad normam n. 452, 9°, 10°, 11°;*

5° *si maioritas pro electione vel postulatione requisita obtinetur,
tunc formetur a præside decretum electionis et instrumentum authen-
ticum electionis conficiatur. De exitu electionis omnes vocales certio-
res fiant;*

6° si vero maioritas absoluta in primo scrutinio non obtinetur, præses determinet tempus pro novo et ultimo scrutinio faciendo, et de omnibus peractis vocales certiores faciat (cf. appendicem 18-bis);

7° capitulum tamen provinciale potest determinare, ut procedatur ad tertium vel etiam quartum scrutinium, si in secundo vel tertio adhuc maioritas absoluta non obtinetur.

455-ter. — § I. — Si leges nostræ provideant electionem per litteras (cf. n. 455-bis), permittitur etiam electio per instrumenta electronica.

§ II. — Pertinet ad priorem provincialem cum consensu sui consilii discernere utrum electio facienda sit per litteras vel per instrumenta electronica, et eligere instrumentum electronicum aptum et bonæ famæ.

§ III. — Electio per instrumenta electronica procedit iuxta normas sequentes:

1° præses mittat omnibus vocalibus instructiones ad accedendum ad instrumentum electronicum electum;

2° infra tempus a præside statutum, quilibet vocalis suffragium suum præbet iuxta instructiones receptas;

3° elapso tempore præfixo pro suffragio, præses verificet exitum in conspectu consilii provincialis vel duorum scrutatorum a consilio adprobatorum;

4° procedatur ad normam n. 455-bis § II, 5°, 6° et 7°.

§ IV. — Ad validitatem electionis per instrumenta electronica requiritur ut:

1° nullus vocalis excludatur ab electione propter instrumentum electum;

2° nullus frater vocem passivam habens excludatur ab electione vocalium propter instrumentum electum;

3° constet solos vocales suffragium tulisse, et quidem unumquemque semel tantum;

4° suffragia singulorum vocalium secreta maneant.

§ V. – Pertinet ad capitulum provincialem alias normas perficere pro electionibus per instrumenta electronica.

Art. V – DE NULLITATE ELECTIONIS

456. – § I. – Electio est nulla:

1° si plures quam tertia pars electorum convocati non fuerint (cf. n. 445 § I);

2° si quis collegio extraneus scienter admissus fuerit;

3° si quis admissus fuerit qui caret voce activa et constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum;

4° si in scrutinio inveniatur quod numerus suffragiorum superet numerum eligentium;

5° si quis sibimetipsi suffragium dederit, et, eo dempto, utpote invalide dato, maioritatem suffragiorum non retulerit.

§ II. – Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata præteritione et absentia, a competente superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem inter tri-duum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

CAPUT XVII

DE ELECTIONE PRIORIS
CONVENTUALISArt. I – DE ELECTORIBUS ET DE
ELIGIBILIBUS

457. — Ut quis in electione prioris voce activa gaudeat, præter condiciones de quibus in nn. 439, 440 et salvo n. 458, requiritur ut in conventu ubi fit electio sit directe assignatus.

458. — § I. — *Fratres qui ratione muneris extra conventum suæ assignationis residentiam habitualement habent, in electione prioris voce non gaudent nisi post suum reditum definitivum (cf. appendicem n. 19).*

§ II. — *Pro ceteris casibus diuturnæ absentiae vel notabilis distantiae fratrum a conventu suæ assignationis, capitulum provinciale determinet condiciones sub quibus iidem fratres in electione prioris participare valeant (cf. n. 336).*

459. — § I. — Frater in priorem conventualement eligendus oportet ut sit prudens, caritativus, regularis observantiae et apostolatus zelator.

§ II. — Præter condiciones de quibus in n. 443, ad validitatem electionis requiritur ut:

1° non fuerit prior in eodem conventu per duo triennia successiva immediate præcedentia;

2° non actualiter exercent officium visitoris generalis, regentis studiorum, moderatoris centri studiorum institutiona-
lium, magistri novitiorum vel fratrum studentium.

460. — § I. — Si aliquis frater non est eligibilis ob aliquod ex impedimentis in n. 459 § II indicatis, vocales eum postulare pos-

sunt a competenti superiore, ad quem nimirum pertinet electionem confirmare.

§ II. – Frater sic postulatus et institutus, accepto officio et capta eiusdem possessione, eo ipso absolvitur a quocumque officio incompatibili, nisi dispensetur a magistro Ordinis.

Art. II – DE ELECTORUM CONVOCATIONE

461. — § I. – Vacante prioratu, salvo n. 302 § II, supprior in capite vel præses forte a priore provinciali institutus, quamprimum convocet vocales ut insimul:

1° diem et horam electionis determinent, ita ut absentes de facili tempore opportuno advenire possint, non tamen ultra mensem ab habita notitia vacationis;

2° elenchum vocalium recognoscant. Si vero aliquod dubium oritur de iure alicuius fratris (cf. n. 447 § II), res deferatur ad priorem provincialem, qui eam dirimat;

3° determinent an tractatus super fratre eligendo habendus sit.

§ II. – Tempore electionis iam determinato, singuli vocales, etiam absentes, a suppriori vel a præside convocentur.

§ III. – Si convocatio facta fuit modo præscripto, et tamen non pervenit ad electorem, hic nequit dici neglectus; sed convocantis est ostendere se modo præscripto convocasse.

462. — *Si vero supprior in capite vel præses post quattuor dies ab habita notitia vacationis prioratus, a maiori parte vocalium requisitus, vocales congregare noluerit (cf. n. 461 § I), antiquior in Ordine ex vocalibus eos convocet. Quod si ipse noluerit, alius antiquior post illum, et sic de ceteris.*

Art. III – DE ACTU ELECTIONIS

463. — *Electioni præsit superior in capite vel, eo deficiente, frater electus unico scrutinio ab ipsis vocalibus e gremio eligentium nisi prior provincialis sive per se sive per alium præesse voluerit.*

464. — § I. – In electione ultra septem scrutinia procedi nequit. Etiam in ultimo scrutinio requiritur maioritas absoluta, qua non obtenta, provisio officii ad priorem provincialem devolvitur. Si vero agatur de postulatione, servetur n. 450 § IV.

§ II. – Electio fit ad normam nn. 451–452.

Art. IV – DE CONFIRMATIONE AUT
CASSATIONE ELECTIONIS EIUSQUE
ACCEPTATIONE

465. — Electio prioris conventualis indiget confirmatione prioris provincialis (cf. appendicem n. 20).

466. — Electio non est intimanda electo, nec iste potest eam acceptare aut eidem renuntiare ante confirmationem.

467. — § I. – Prior provincialis, aliquibus auditis fratribus gravioribus, ad communitatem eligentium non pertinentibus, potest electionem confirmare vel cassare et postulationem admittere vel reicere, prout ad bonum Ordinis expedire iudicaverit, etiamsi electio ad normam iuris facta fuerit; suam decisionem tamen non ultra moras necessarias differat.

§ II. – Si postulatio rite facta priori provinciali admittenda esse videatur, ipse ad magistrum Ordinis recurat pro dispensatione, qua obtenta, postulatum confirmare potest ad normam § I.

468. — *Prior provincialis ante confirmationem petere tenetur consensus:*

1° magistri Ordinis, si electus vel postulatus sit assignatus in conventu immediatæ iurisdictioni eiusdem magistri Ordinis subiecto;

2° prioris provincialis provinciæ assignationis, si electus vel postulatus sit assignatus in alia provincia (cf. 270 § I); atque etiam prioris provincialis provinciæ affiliationis, si extra provinciam suæ affiliationis assignatus fuerit.

469. — § I. — *Electus prior potest electionem suam acceptare vel recusare (cf. n. 466); sed prior provincialis potest ipsi iniungere, etiam sub præcepto formali, ut prioratus onus in se suscipiat.*

§ II. — *Prior in actu non potest cogi ad acceptandum prioratum alterius conventus.*

470. — § I. — *Electus in ipsis litteris confirmationis acceptationem vel recusationem suam propria manu subsignet, diem notando, coram duobus testibus qui eas et ipsi subscribant.*

§ II. — *Si vero renuntiat, rationes suæ renuntiationis priori provinciali exponat.*

§ III. — *Ille qui renuntiat vel qui infra quinque dies post acceptas litteras confirmationis non acceptaverit, omne ius e confirmatione quæsitum amittit.*

471. — *Litteræ confirmationis et acceptationis legendæ sunt coram conventu. Tunc, emissa ab electo fidei professione (cf. appendicem n. 21), intellegitur capta prioratus possessio (cf. n. 301).*

472. — *Prior provincialis, electionem aut postulationem infirmando, semper expresse dicat in scriptis se cassare prædictam electionem aut postulationem (cf. appendicem n. 22); aliter vocales non valent ad novam electionem procedere.*

473. — § I. — *Litteræ quibus electio cassatur aut postulatio reicitur aut recusatio admissa adnuntiatur, mittantur ad eum qui electioni præfuit, eidemque denuntiabitur utrum novæ electioni sit locus (cf. appendicem n. 22).*

§ II. — *His litteris acceptis, si nova electio sit facienda, præses debet infra mensem electores convocare, ad normam n. 461.*

§ III. — *Nova electio facienda est præside suppriori vel fratre ad normam n. 463 iam electo, iisdem retentis actuario et scrutatoribus ac in præcedenti electione, eadem servata forma, excepta obligatione celebrandi Missam de Spiritu Sancto.*

Art. V – DE DEVOLUTIONE IURIS
INSTITUENDI PRIOREM CONVENTUALEM

474. — Salvo n. 373, 1°, ad priorem provincialem devolvitur ius instituendi priorem conventualem (cf. appendicem n. 23):

1° quando conventus, tempore vacationis prioratus, non habet condiciones de quibus in n. 260;

quod si habeat condiciones, sed unus vel plures vocalium suffragium ferre nolint aut nequeant, tunc unus sufficit ad electionem legitime perficiendam, dummodo ultima dies mensis expectetur;

2° quando omnes vocales suæ voci renuntiaverunt nec a priore provinciali restituti fuerint;

3° quando vocales non elegerunt aut postulaverunt infra mensem a cognita vacatione prioratus vel cassatione aut non acceptatione electionis præcedentis;

4° quando expleto trimestri a prioratus vacatione, conventus, quacumque ex causa, nondum habuerit priorem confirmatum salvo n. 302 § II;

5° quando in processu electionis facta fuerint septem scrutinia inutilia;

6° quando vocales, cassata prima electione, eundem fratrem denuo eligunt, nisi illa electio fuerit cassata propter vitium formæ tantum et non propter personam electi;

7° quando iam factæ sunt duæ vel ad summum tres electiones a priore provinciali confirmatæ et ab electis non acceptatæ; tunc enim, post secundam electionem, prior provincialis potest, et post tertiam debet priorem instituere.

475. — *Si prior provincialis intra mensem a devolutionis notitia priorem non instituerit, ius providendi ad magistrum Ordinis devolvitur.*

476. — *Nominatus prior tenetur acceptationem vel recusationem officii eodem modo ac prior electus in scriptis dare (cf. nn. 469–471).*

CAPUT XVIII

DE ELECTIONE VICARII PROVINCIALIS

477. — § I. — *Si statutum vicariatus determinaverit ut vicarius per electionem designetur, præses electionis est ille frater qui actu regit vicariatum ad normam statuti vicariatus vel alius frater forte a priore provinciali institutus.*

§ II. — *Ei competit, audito consilio vicariatus, determinare et omnibus vocalibus notificare tempus electionis, infra tamen mensem a cognita vacatione officii.*

478. — *Electores sunt fratres, voce activa gaudentes, in conventibus vicariatus directe assignati, vel indirecte ratione officii.*

479. — § I. — *Ut quis valide eligi possit in vicarium provincialem, salvo n. 443, requiritur ut:*

1° triginta compleverit annos a sua nativitate, decem vero a prima professione;

2° non fuerit vicarius provincialis in eadem vicariatu per duo mandata immediate præcedentia.

§ II. — Si quis frater eligi nequeat ex defectu unius vel plurium condicionum de quibus in § I, 1° et 2°, fratres eum postulare possunt a priore provinciali, qui provideat ad normam n. 467.

480. — § I. — Ad statutum vicariatus provincialis pertinet determinare utrum vocales debeant specialiter in unum convenire pro electione facienda vel suffragium suum per litteras mittere.

§ II. — Si electio facienda est in congregatione speciali:

1° præses et locus electionis sint ut in n. 477;

2° in ipso actu electionis servetur n. 464 (cf. appendicem n. 18).

§ III. — Si vero vocales non possunt de facili in unum convenire, fiat iuxta normas n. 455-bis.

§ IV. — Elapso tempore præfixo pro receptione schedularum, præses cum scrutatoribus scrutinium faciat ad normam n. 455-bis § II et iuxta normas sequentes:

1° si maioritas pro electione vel postulatione requisita obtinetur, tunc formetur a præside decretum electionis, instrumentum authenticum electionis conficiatur et ad priorem provincialem mittatur iuxta n. 453 § I (cf. appendicem n. 24). De exitu electionis omnes vocales per litteras certiores fiant;

2° si in ultimo vero scrutinio, sive sit secundum (n. 455-bis § II, 6°), sive tertium vel quartum (n. 455-bis § II, 7°), maioritas absoluta non obtinetur, provisio officii ad priorem provincialem devolvitur (cf. n. 464).

481. — § I. — Quoad confirmationem aut cassationem electionis vicarii provincialis eiusque acceptationem, serventur nn. 465–473.

§ II. — Ius instituendi vicarium provincialem devolvitur ad priorem provincialem, salvo n. 373, 1° :

1° quando vicariatus tempore vacationis vicarii provincialis non habet condiciones de quibus in n. 384 § I; tunc tamen in institutione vicarii vocales conventuum vicariatus audiantur ad normam statuti vicariatus;

2° quando omnes vocales suæ voci renuntiaverint nec a priore provinciali restituti fuerint;

3° quando quacumque ex causa intra sex menses a cognita vacatione, vicarius provincialis non electus aut postulatus fuerit;

4° quando in processu electionis in congregatione speciali facta fuerint septem scrutinia inutilia (cf. n. 480 § II, 2°);

5° quando in processu electionis per litteras facta fuerint duo scrutinia inutilia (cf. n. 480 § IV, 2°), vel tres vel quattuor si capitulum provinciale sic determinaverit (cf. n. 455-bis § II, 7°).

6° quando fratres, cassata prima electione, eundem fratrem de-novo eligunt, nisi illa electio fuerit cassata propter formam tantum et non propter personam electi;

7° quando iam factæ sunt duæ vel ad summum tres electiones a priore provinciali confirmatæ et ab electis non acceptatæ; tunc enim, post secundam electionem prior provincialis potest, et post tertiam debet vicarium provinciale instituire.

§ III. — Si prior provincialis intra mensem a devolutionis notitia vicarium provinciale non instituerit, ius providendi ad magistrum Ordinis devolvitur. [♦ T 360 ♦♦ K 329]

482. — *vacat.*

483. — *vacat.*

484. — *vacat.*

CAPUT XIX

DE ELECTIONIBUS PRO CAPITULO
PROVINCIALI

Art. I – DE ELECTIONE PERITORUM

485. — *Capitulo provinciali adesse possunt periti iuxta determinationem provinciæ, sed cum voce tantummodo consultiva.*

486. — *vacat.*

487. — *vacat.*

488. — *vacat.*

Art. II – DE ELECTIONE SOCII PRIORIS
EUNTIS AD CAPITULUM PROVINCIALE

489. — Socius prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale est frater electus a conventu ad vocem in capitulo provinciali habendam.

490. — § I. – Ius eligendi socium prioris euntis ad capitulum provinciale competit solis conventibus qui, a sex mensibus ante celebrationem capituli, octo vocales habent, nisi forte illo anno per fratris obitum dictus numerus fuerit deminutus (cf. appendicem n. 26).

§ II. – Conventus autem qui ad minus habent sedecim vocales, ius habent duos socios eligendi, tres vero si habent viginti quattuor et quattuor si habent plus quam triginta duos.

§ III. – Fratres conventus qui numerum vocalium non habet sufficientem ut possint eligere socium prioris euntis ad capitu-

lum provinciale, adiungantur alicui collegio ad eligendum delegatum.

491. — § I. — *Electores sunt fratres voce activa gaudentes, in conventu assignati, etiamsi habitualiter extra conventum suæ assignationis degant, ita autem ut illi, qui, ad normam n. 497 § II ad determinatum collegium electivum aggregentur, nullo modo computentur inter numerum secundum quem socii prioris ad capitulum provinciale euntis determinentur (cf. n. 458 § II).*

§ II. — *Qui vero quocumque ex titulo iam cooptantur inter vocales capituli provincialis, participare nequeunt in prædicta electione.*

492. — *Firmo n. 443 § I, omnes electores sunt eligibiles, iis exceptis qui idem officium pro eodem conventu exercuerint in capitulo immediate præcedenti.*

493. — § I. — *Electio fieri debet intra tempus a priore provinciali statutum.*

§ II. — *Diem electionis assignare pertinet ad suppriorem de consensu vocalium ad normam nn. 461–462 necnon eidem electioni præesse.*

494. — § I. — *In conventibus ubi unus socius eligendus est, electio fiat quoad modum ad normam § IV, 2° et n. 452.*

§ II. — *In conventibus ubi plures socii eligendi sunt (cf. n. 490 § II), per vota secreta determinetur utrum omnes simul vel unus post alium sint eligendi.*

§ III. — *Ante electionem, de consensu maioris partis vocalium, tractatus de eligendis haberi potest.*

§ IV. — *Electio modo sequenti perficiatur:*

1° *si socii omnes simul eliguntur, electio terminatur in septimo scrutinio in quo maioritas relativa sufficit;*

2° *si vero unus post alium eligitur, tunc pro quocumque socio si usque ad tertium scrutinium inclusive nullus candidatus maioritatem*

absolutam votorum retulerit, in quarto et ultimo scrutinio illi duo tantum præsentari possunt, qui in scrutinio præcedenti maiorem suffragiorum numerum retulerint, firmo præscripto n. 450 § III.

495. — *Socius habeat litteras testimoniales suæ electionis a scrutatoribus subscriptas (cf. appendicem n. 27), sine quibus non admittatur ad capitulum provinciale, nisi aliunde indubitanter constet de sua electione.*

496. — § I. — *Socius vocem non habet nisi pro capitulo pro quo fuerit electus. Eius tamen electio non valet si capitulum ultra annum remittatur.*

§ II. — *Si vero pluries electio prioris provincialis celebretur propter cassationem vel recusationem electi, idem socius ad novam electionem admittatur.*

§ III. — *Quod si socium electum impediri contingat ante inceptio-
nem capituli, alius, eius loco, eligi potest.*

Art. III – DE ELECTIONE DELEGATORUM
EUNTIIUM AD CAPITULUM PROVINCIALE

497. — § I. — *Salvo n. 491 § II, et exceptis iis qui ad normam n. 352 § I iam repræsentantur, delegatum euntem ad capitulum provinciale eligunt, dummodo voce activa gaudeant (cf. nn. 440 et 441):*

1° *fratres directe assignati domibus provinciæ;*

2° *fratres directe assignati in domibus vel conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, iis semper exceptis qui ad consilium generalitium pertinent;*

3° *fratres indirecte assignati extra provinciam, dummodo non sint superiores;*

4° fratres assignati conventibus, pro quibus conventio inita est ad normam n. 391, 4°–6°, dummodo non sint priores conventuales.

§ II. – Firmo n. 490 § I, quoad numerum vocalium pro electione socii prioris, alii vocales extra conventum degentes, qui gravi de causa electioni socii participare nequeunt in conventu suæ assignationis (cf. n. 491), a priore provinciali cum suo consilio ad determinatum collegium electivum aggregentur.

§ III. – Firmo n. 443 § I, omnes fratres vocem habentes in electione delegati sunt etiam eligibiles ex ipso collegio ad quod pertinent.

498. — *Vocales a capitulo provinciali vel a priore provinciali cum suo consilio, in plura collegia dividantur secundum numerum et regiones, ita ut quodlibet collegium habeat non minus quam octo et non plus quam quindecim vocales. Si vero in aliqua regione vocales sunt minus quam octo, adiungantur alii collegio electivo.*

499. — § I. — *Ad consilium provinciæ pertinet determinare, pro unoquoque collegio electivo, utrum vocales debeant specialiter in unum convenire pro electione facienda vel suffragium suum per litteras mittere.*

§ II. — *Si electio facienda est in congregatione speciali:*

1° *præses et locus electionis determinantur a consilio provinciæ;*

2° *in ipso actu electionis servantur nn. 452 et 494 § IV;*

3° *post electionem delegati provideatur eodem modo de substituto pro casu necessitatis.*

§ III. — *Si vero vocales non possunt de facili in unum convenire proceditur per litteras, priore provinciali præside, ad normam n. 455-bis et iuxta normas sequentes:*

1° *si maioritas absoluta in primo scrutinio non obtinetur, prior provincialis procedat secundum normas n. 455-bis § II, 6° et 7°; in ultimo vero scrutinio, sive sit secundum (n. 6°), sive tertium vel*

quartum (n. 7°), illi duo tantum præsentari possunt qui in præcedenti scrutinio maiorem numerum suffragiorum retulerint, firmo n. 450 § III;

2° in casu deficientiæ delegati, tamquam substitutus ille habeatur qui in ultimo scrutinio quoad numerum suffragiorum secundum locum obtinuit, salvo n. 450 § III.

500. — *Litteræ testimoniales electionis mittantur ad electos, ad normam n. 453 § II (cf. appendicem n. 28).*

501. — *Delegati vocem non habent nisi pro capitulo pro quo fuerint electi, ad normam n. 496 § I et II.*

CAPUT XX

DE ELECTIONE PRIORIS PROVINCIALIS

Art. I – DE TEMPORE ELECTIONIS

502. — *Electio prioris provincialis celebranda est regulariter in capitulo provinciali, vel extraordinarie in simplici congregatione electiva (cf. n. 351 § II).*

503. — § I. — *Si priorem provincialem ante finem quadriennii ab officio cessare contingat, magister Ordinis, auditis vicario et consilio provinciæ, tempus electionis determinet et condiciones, nempe utrum prior provincialis eligendus sit in capitulo provinciali ordinario aut in simplici congregatione electiva.*

§ II. — *Magister Ordinis, hoc in casu, potest etiam abbreviare vel prorogare prioris provincialis eligendi quadriennium, taliter quod sequens electio de novo in consueto capitulo provinciali, tempore solito, celebretur.*

504. — *Quando electio prioris provincialis in simplici congregatione electiva peragenda est, electores sunt fratres qui iuxta leges nostras capitulum provinciale constituunt et ideo servanda sunt omnia quæ pro capitulo provinciali præscripta sunt de convocatione vocalium et de diversis electionibus faciendis.*

Art. II – DE ELIGIBILIBUS

505. — § I. — Ut quis eligi possit in priorem provincialem, præter condiciones de quibus in nn. 443 et 459 § I, requiritur ut:

1° triginta expleverit annos a sua nativitate, decem vero a prima professione;

2° non fuerit prior provincialis in eadem provincia per duo quadriennia immediate præcedentia;

3° non sit visitator generalis in eadem provincia.

§ II. — Si quis frater eligi nequeat ex defectu unius vel plurium condicionum de quibus in § I, 1°, 2°, 3°, fratres possunt eum postulare a magistro Ordinis.

Art. III – DE ACTU ELECTIONIS

506. — In electione prioris provincialis procedi nequit ultra septem scrutinia. Etiam in ultimo scrutinio maioritas absoluta requiritur; si vero de postulatione agitur, servetur n. 450 § IV.

507. — § I. — *Electioni præsit vicarius provinciæ vel vicarius electionis a magistro Ordinis forte institutus.*

§ II. — *Duo scrutatores designandi sunt ad normam n. 448 § IV.*

§ III. — *Munere secretarii fungatur actuarius capituli. Si electio in simplici congregatione electiva facienda sit, secretarius consilii conventus munere actuarii fungi potest.*

508. — § I. — *Pro ipsa electione procedatur ad normam nn. 451 – 452.*

§ II. — *Instrumentum electionis ad magistrum Ordinis mittatur in exemplari authentico; alterum vero exemplar in archivo provinciae conservetur (cf. n. 453 § I et appendicem n. 29).*

Art. IV – DE CONFIRMATIONE VEL
CASSATIONE ELECTIONIS

509. — § I. — *Electio prioris provincialis semper indiget confirmatione magistri Ordinis.*

§ II. — *Magister Ordinis potest electionem confirmare vel cassare, prout ipse ad bonum Ordinis expedire iudicaverit.*

510. — *Acceptis litteris confirmationis vel institutionis, procedatur ad normam nn. 469–471.*

511. — *Si contingat electionem cassari vel recusari, nova electio fiat ante finem capituli, vel, si electio facta fuerit in simplici congregatione electiva, infra mensem a cognita cassatione vel recusationis acceptatione.*

512. — § I. — *Ius instituendi priorem provincialem ad magistrum Ordinis devolvitur:*

1° quando electores in die pro electione statuto nec elegerunt nec postulaverunt, sed septem scrutinia inutilia fecerunt;

2° quando quacumque ex causa provincia a sex mensibus legitimo priore provinciali careat.

§ II. — *Post tertiam electionem, confirmatam et non acceptatam, magister Ordinis potest, post quartam vero debet priorem provincialem instituere.*

CAPUT XXI

DE CETERIS ELECTIONIBUS IN
CAPITULO PROVINCIALI FACIENDISArt. I – DE ELECTIONE DIFFINITORUM
CAPITULI PROVINCIALIS

513. — Diffinitores capituli provincialis sunt fratres qui ab omnibus vocalibus capituli provincialis eliguntur ut, una cum præsidente, principaliora negotia capituli diffiniant.

514. — § I. — Ut quis in diffinitorem capituli provincialis eligi possit, præter condiciones sub n. 443 § I statutas, requiritur ut:

1° non diffiniverit in capitulo provinciali immediate præcedenti;

2° non sit prior provincialis qui immediate ante capitulum officium suum expleverit;

3° sit in provincia assignatus, aut filius provinciæ assignatus in conventu sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, dummodo ad consilium generalitium non pertineat.

§ II. — Eligi possunt in diffinitores etiam fratres qui non sunt de gremio vocalium capituli, quo in casu vocem habent in omnibus electionibus capituli, præterquam in electione prioris provincialis, si esset iteranda.

515. — § I. — Electio diffinitorum fit die statuto (cf. n. 357), sub præsentia vicarii provinciæ vel prioris provincialis, ad normam n. 507.

§ II. — Per vota secreta determinetur utrum omnes simul vel unus post alium sint eligendi.

§ III. — Ante electionem, de consensu maioris partis vocalium, tractatus de eligendis haberi potest.

§ IV. – Exclusa omni postulatione, electio modo sequenti perficiatur:

1° si diffinitores omnes simul eliguntur, electio terminatur in septimo scrutinio in quo maioritas relativa sufficit;

2° si vero unus post alium eligitur, tunc pro quocumque diffinitore, si usque ad tertium scrutinium inclusive nullus candidatus maiorem absolutam votorum retulerit, in quarto et ultimo scrutinio illi duo tantum præsentari possunt qui in scrutinio præcedenti maiorem suffragiorum numerum obtinuerint, firmo præscripto n. 450 § III.

§ V. – Instrumentum electionis non conficiatur, sed tantum constet de electione in actis capituli.

516. – Diffinitorum electio nulla indiget confirmatione ita ut eorum auctoritas incipit statim post electionem et acceptationem.

517. – *Durante capitulo, diffinitores ubique primum locum obtinent post priorem provincialem, et inter se secundum ordinem professionis.*

518. – *Si durante capitulo aliquis ex diffinitoribus electis deficiat, alius statim per eosdem vocales in eius locum subrogari potest.*

519. – § I. – *Electio consiliariorum provinciæ, si qui sint eligendi (cf. n. 357), eodem modo fiat ac electio diffinitorum. Eligantur quoque in capitulo provinciali consilarii subsidiarii provinciæ, iuxta numerum et modum a statuto provinciæ indicatum, qui deficientibus, quilibet ex causa, subrogentur, adprobante magistro Ordinis.*

§ II. – *Eligi possunt omnes fratres voce passiva gaudentes in provincia assignati, necnon filii provinciæ in domibus vel conventibus assignati sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, dummodo ad consilium generalitium non pertineant, etiamsi idem officium quovis titulo exercuerint in præcedenti quadriennio.*

Art. II – DE ELECTIONIBUS PRO CAPITULO
GENERALI

520. — § I. — Diffinitor capituli generalis intellegitur frater electus in capitulo provinciali cuiuslibet provinciæ, cui ipso iure confertur vox activa in capitulo generali.

§ II. — Socius diffinitoris eodem modo electus ius habet eum supplendi in casu necessitatis.

§ III. — Cum eodem iure supplendi eligitur eodem modo socius prioris provincialis euntis ad capitulum generale.

§ IV. — In capitulo generali electivo, socius diffinitoris de quo in n. 407 § I, 5° et socius prioris provincialis de quo in n. 407 § I, 6° vocem habent.

521. — § I. — *In quolibet capitulo provinciali eligendi sunt duo diffinitores generales et duo socii. Qui primo loco electi sunt, censeantur electi pro primo capitulo in quo diffinitores partem habere debent, sive sit capitulum electivum sive diffinitorum tantummodo; qui vero secundo loco electi sunt, pro secundo simili capitulo censeantur electi, nisi ante eorundem diffinitionem aliud capitulum provinciale intervernerit.*

§ II. — *Ut socii diffinitorum et socius prioris provincialis tres distincti fratres eligendi sunt.*

522. — Ut quis in diffinitorem capituli generalis vel socium diffinitoris aut prioris provincialis eligi possit requiritur ut:

1° sit filius provinciæ vel in ea a sex saltem annis assignatus, etsi non provinciæ filius;

2° non diffiniverit nec elegerit eodem titulo in capitulo generali immediate præcedenti;

3° non sit directe assignatus in conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis.

523. — *Omnes eligantur unus post alium, ab omnibus vocalibus capituli. Pro unaquaque electione si usque ad tertium scrutinium inclusive nullus candidatus maioritatem absolutam retulerit, in quarto et ultimo scrutinio illi duo tantum præsentari possint, qui in scrutinio præcedenti maiorem numerum suffragiorum retulerint, firmo præscripto n. 450 § III.*

524. — *Electis in diffinitores capituli generalis vel in socios tradantur litteræ testimoniales electionis, a præside capituli et diffinitoribus subscriptæ (cf. appendicem n. 30); alias nullo modo admittantur nec ad diffinitionem, nec ad electionem magistri Ordinis, nisi aliter de iure constiterit.*

525. — § I. — *Si forte diffinitor electus, ante capituli generalis celebrationem, eligeretur vel institueretur prior provincialis in sua vel in aliena provincia, aut alio modo fuerit impeditus, socius ipsius diffinitoris ipso iure in eius locum subrogetur.*

§ II. — *Si vero socius diffinitoris vel prioris provincialis impeditus fuerit, vel desit, loco ipsorum subrogetur aliquis ex diffinitoribus capituli provincialis præcedentis, qui habet condiciones requisitas in n. 522, incipiendo ab antiquioribus in Ordine.*

CAPUT XXII

DE ELECTIONE MAGISTRI ORDINIS

526. — *Magister Ordinis semper eligitur in capitulo generali ad hoc specialiter convocato, ad normam n. 413.*

527. — *Ut quis eligi possit in magistrum Ordinis, requiritur ut non minus quam triginta et quinque annos a sua nativitate expleverit, decem vero a prima professione, necnon ut condiciones habeat de quibus in nn. 443 et 459 § I.*

528. — Ad electionem magistri Ordinis procedatur quinta die ab inauguratione capituli (cf. n. 417 § II, 5°), etsi non omnes electores convenerint.

529. — *Pridie electionis, electores a præsidente convocati, possunt tractatum habere inter se super magistro eligendo.*

530. — *In die electionis, vel pridie, in omnibus conventibus Ordinis celebretur Missa de Spiritu Sancto.*

531. — § I. — *Electioni præsint vicarius Ordinis, scilicet vel ex-magister Ordinis qui ab officio cessavit, vel vicarius iuxta leges nostras (cf. n. 417).*

§ II. — *Actuarius electionis sit primus actuarius capituli.*

§ III. — *Scrutatores designentur ad normam n. 448 § IV.*

532. — *Pro ipsa electione procedatur ad normam n. 452, his tamen exceptis:*

1° *scrutinia reiteranda sunt usquedum aliquis frater per maioritatem absolutam suffragiorum electus sit;*

2° *electores ex aula capitulari egredi nequeunt antequam novus magister electus sit, exceptis tamen scrutatoribus pro suffragiis infirmorum, si qui sint, accipiendis;*

3° *instrumentum authenticum non conficiatur, sed fidelis relatio totius electionis cum diversis scrutiniis in processu verbali capituli adnotetur.*

533. — *Magistri Ordinis electio confirmatione non indiget.*

534. — § I. — *Electio illico intimanda est electo qui, si absens fuerit, quamprimum ad capitulum se conferat.*

§ II. — *Electus, nisi graves habeat rationes, electionem de se factam acceptare tenetur. Quod si non acceptaverit et capitulares recusa-*

tionem admiserint, ad novam electionem quamprimum procedere debent.

535. — *Electione facta et acceptata, convocentur omnes fratres in conventu præsentes et publicetur nomen electi.*

536. — *Magister, si adsit, vel ubi primum advenerit, professionem fidei coram capitulo emittat, antequam ullum actum ut magister Ordinis faciat.*

SECTIO QUARTA

DE ADMINISTRATIONE ŒCONOMICA

537. — Recta administratio postulat, ut responsabilitatem circa bona temporalia communitatis omnes et singuli fratres participent etiam in modo quo rebus utuntur. Implicat enim veram relationem cum paupertate, cuius dici potest practicum exercitium. Officiales vero res œconomicas sedula cum cura administrant tamquam fideles servi et prudentes, in obsequio caritatis.

CAPUT XXIII

DE PRINCIPIIS ADMINISTRATIONIS ŒCONOMICÆ

Art. I — DE FINE ADMINISTRATIONIS

538. — § I. — Administratio œconomica imprimis versatur circa res quæ necessariæ sunt pro vita quotidiana fratrum eorumque apostolatu, deinceps se extendit ad ædificia in quibus communitas habitat et orat eorumque suppellectilem, necnon eorumdem conservationem. Itemque oportet ut prudens administratio etiam pro imprævisis summam capitalem tempestive paret.

§ II. – Fons autem primarius omnium horum bonorum est labor assiduus fratrum et moderatio in usu et sumptibus, etiam-si largitiones benefactorum grato animo suscipiamus.

539. — § I. — *Cum non sint admittendæ inordinatæ accumulatio-nes bonorum, in casu quo in aliquo conventu bona immobilia, mobilia aut capitalia revera superflua adsint, capituli provincialis est, auditis consilio et capitulo conventus, de iis disponere.*

§ II. — *Hæc bona applicentur necessitatibus propriæ provinciæ aut, consulto magistro Ordinis, Ordini vel alicui provinciæ magis indigenti offerantur.*

Art. II – DE SUBIECTO ADMINISTRATIONIS

540. — Bona temporalia acquirere, possidere et administrare possunt non tantum Ordo verum etiam singulæ provinciæ et conventus.

541. — *In sectione de administratione æconomica verbum Ordo sumitur pro personalitate iuridica, habens sub immediata iurisdictione magistri Ordinis conventus et instituta ad instar alicuius provinciæ.*

542. — § I. — Instituta et opera, quamvis pertineant ad conventum aut provinciam aut Ordinem et subsint iurisdictioni respectivi superioris, possunt secundum statutum administrationis provinciæ vel Ordinis quibusdam iuribus frui.

§ II. — Eodem modo propria administratio concedi potest determinatis officialibus sive conventus sive provinciæ sive Ordinis, qui considerantur ut administratores delegati.

§ III. — Superiores possunt etiam intra limites statuti administrationis provinciæ vel Ordinis determinatum fratrem ad aliquod opus particulare absolvendum deputare.

543. — *Possunt magister Ordinis et prior provincialis habere personalem capsam distinctam pro expensis personalibus et discretis.*

544. — Expensas et actus iuridicos administrationis ordinariæ vel extraordinariæ, si requisitus consensus adsit, valide, præter superiores et syndicos, faciunt quoque administratores sive delegati sive deputati.

545. — § I. — Si conventus vel provincia vel Ordo per suos superiores vel administratores sive ordinarios sive delegatos intra fines sui muneris debita et obligationes contraxerint, ipsa persona iuridica de his respondere tenetur.

§ II. — Eodem modo si contraxerit administrator deputatus, respondere debet illa persona iuridica cuius nomine actus positus est.

§ III. — Si contraxerit frater sine ulla superioris licentia, ipsemet respondere debet, non autem Ordo vel provincia vel conventus.

Art. III — DE OBIECTO ADMINISTRATIONIS SEU DE IURE AD BONA

546. — Ad conventum pertinet, nisi aliter a capitulo provinciali statuatur:

1° quidquid fratres ibi assignati labore aut industria sua vel intuitu personæ vel conventus acquirunt, necnon eorum pensiones personales cuiusvis sint generis, salvis, nn. 174 et 200 § IV ;

2° dona facta in favorem conventus;

3° omnia bona decursu temporis legitime acquisita sive immobilia sive mobilia sive capitalia, eorumque redditus.

547. — *Suppresso conventu, eius bona devolvuntur ad provinciam, servatis de iure servandis.*

548. — Ad provinciam pertinent, nisi aliud a capitulo provinciali statuatur:

1° fructus laboris prioris provincialis;

2° dona facta in favorem provinciæ;

3° dona facta pro postulantium, novitiorum et studentium educatione necnon pro sustentatione missionum aut pro aliis operibus, quæ a provinciæ directione pendent;

4° fructus ex operibus et institutis, quorum provincia assumpserit expensas;

5° fructus laboris fratrum extra propriam provinciam assignatorum vel laborantium, ad normam n. 600;

6° hæreditaria filiorum provinciæ bona cuiusvis generis necnon legata libera, id est, quæ fratribus, absque ulla benefactoris intentione prius in scriptis vel coram testibus manifestata relinquuntur, salvo n. 200;

7° bona immobilia vel mobilia vel capitalia decursu temporis a provincia acquisita, eorumque redditus;

8° contributiones conventuum a capitulo provinciali taxatæ.

549. — Ad Ordinem pertinent:

1° bona immobilia, mobilia et capitalia tum Ordinis tum institutorum magistro Ordinis immediate subiectorum, eorumque redditus;

2° fructus operis fratrum in iis institutis et in curia generalitia laborantium, necnon dona illis omnibus largita sine conditione speciali, salvo n. 600;

3° contributiones provinciarum a capitulo generali taxatæ;

4° contributiones conventuum vel institutorum immediate subiectorum magistro Ordinis, ab ipso cum suo consilio taxatæ;

5° omnes alii proventus intuitu Ordinis advenientis.

CAPUT XXIV

DE MODO ADMINISTRANDI

Art. I – PRÆSCRIPTA GENERALIA

550. — Bona temporalia tum immobilia tum mobilia administrari debent iuxta normas iuris ecclesiastici et legum nostrarum necnon secundum statuta specialia administrationis provinciae vel Ordinis.

551. — Servato iure ecclesiastico et nostro, in administratione oeconomica omnes condiciones a lege civili requisitæ adamsim servantur.

552. — *Provincia debet habere statutum administrationis, quod sit pars statuti istius, secundum exigentias suas, in quo omnia administrationem bonorum temporalium spectantia pressius determinantur. Hoc statutum in actis capituli provincialis includi debet, et quoad substantiam non de facili mutetur.*

553. — *Ordo ad mentem n. 552 habeat proprium statutum administrationis a magistro Ordinis cum suo consilio adprobatum.*

554. — *Ordo, provincia, conventus habent iure ecclesiastico propriam personalitatem iuridicam. Quando autem hæc a Statu non agnoscitur, debent aliquam personalitatem civilem acquirere iuxta determinationem statuti provinciae vel Ordinis.*

555. — § I. — *Bona societatum vel associationum quæ vice conventus, provinciæ vel Ordinis coram Statu personam iuris civilis assument, sunt revera bona nostra et ut talia tractari debent.*

§ II. — *Ideo repræsentans legalis personæ civilis, quæ vices gerit conventus vel provinciæ vel Ordinis vel alicuius instituti ad illa pertinentis, tantum eos actus ponere potest, quos superior aut administrator competens iuxta ius nostrum facere potest; et stricte obligatur eos omnes non secundum proprium arbitrium, sed secundum indicationem officialis competentis exsequi.*

§ III. — *Idem valet pro aliis administratoribus et pro singulis sociis qui per suffragium vel alio quocumque modo in administratione participant. Et pro omnibus cautelæ iuridicæ adhibeantur, ne ullum detrimentum in casu mortis fratris vel aliunde exoriri possit.*

§ IV. — *In speciali contractu determinantur iura et obligationes repræsentantis legalis, si est laicus.*

556. — *Servato conventuum iure radicali administrandi sua bona, ut melior et efficacior reddatur administratio, provinciæ in statuto æconomico decidere possunt illius partialem centralizationem.*

Art. II – DE ORDINANDA ADMINISTRATIONE

557. — *Salvo n. 543, quilibet frater, etiam si sit superior, pecunias aut emolumenta cuiusvis generis syndico tradere tenetur, ut accurate in registris referantur atque, servato iure alicuius tertii, bonis communitatis aggregentur.*

558. — *In libris administrationis omnes pecuniæ et bona capitalia cuiusve speciei, omnes introitus et exitus distincte inscribantur. Debita vero vel quælibet obligationes æconomicæ sicut iura vel credita etiam in iis aperte registrentur.*

559. — § I. — *Quilibet syndicus vel administrator habeat tabularium tutum et bene ordinatum. In fine officii sui omnia acta tradat successori.*

§ II. — *Administratores ad negotium particulare deputati omnia acta, negotio absoluto, tradant respectivo syndico.*

560. — § I. — *Ordinis entia per capitula vel in statutis definiant modus operandi de bonis pecuniariis (administratio; cura argenti, actionum, obligationum vel similium; collocatio et permutationes in mensis publicis) secundum conditiones peculiare loci.*

§ II. — *In qualibet provincia normæ ethicæ stabiliantur pro pecuniarum investigatione et locatione. Prior provincialis cum suo consilio de hoc curare debet, audito consilio æconomico et promotore vel commissione provinciali pro Iustitia et Pace. His normis consideratis, provincia et singulis domus videant quibus in mensis publicis (banco) (cf. § III) fundos suos deponere et in quibus societatibus participare opportunum erit.*

§ III. — *Pecuniæ in mensis solummodo publicis (vulgo: bank) de quarum securitate certo constat deponantur et quidem ad mentem n. 555 sub nomine respectivæ personæ iuridicæ vel instituti ad quæ pertinent.*

§ IV. — *Mensa publica eligatur ab ipso administratore de consensu superioris.*

561. — *Nulli fratri liceat depositum personale in mensis publicis habere, nisi de licentia sui superioris. In hoc casu etiam alius frater, a superiore delegatus, habere debet facultatem liberandi pecuniam.*

Art. III – DE RATIONE REDDENDA

562. — *Quilibet frater, qui ex officio vel ex deputatione habet administrationem bonorum, de ea tenetur rationem reddere.*

563. — § I. — *Quolibet mense coram consilio syndicus conventus rationem reddat de omnibus acceptis et expensis, debitis et creditis.*

§ II. — *Quolibet anno superior domus, prior conventualis et vicarius provincialis priori provinciali mittant rationem accuratam et completam a syndico confectam, in qua etiam contineatur ratio præsumpta seu æstimata (vulgo: budget, état) pro anno sequenti, audito capitulo, si capitulum provinciale hoc determinaverit, et a consilio conventus vel vicariatus adprobatam, cuius exemplaria asserventur in tabulario respectivi syndici.*

564. — *Rationes annuæ singulorum conventuum et institutorum subiciantur examini consilii provinciæ.*

565. — *Provincia uniforme habeat schema, iuxta quod syndici conventuum et administratores permanentes rationes œconomicas suis respectivis superioribus et consiliis reddere tenentur.*

566. — § I. — *Quolibet anno, syndicus provinciæ et vice-provinciæ consilio respectivo rationem reddant accuratam et completam de acceptis et expensis, debitis et creditis eiusdem entitatis, de gestionibus ab eis factis, et de statu œconomico entitatis; proponant etiam rationem præsumptam seu æstimatam pro anno sequenti. Omnes hæ relationes a consilio respectivo adprobandæ sunt. Unoquoque mense syndicus debet suam relationem œconomicam proponere superiori entitati.*

§ II. — *Vicarius provincialis similiter mittat priori provinciali suo accuratam relationem de statu œconomico a consilio adprobatam eodem modo ut supra in § I statuitur.*

567. — *Singulis annis, ante finem mensis augusti, adiuvantibus eorum syndicis, priores provinciales, priores vice-provinciales et præfecti institutorum sub immediata magistri Ordinis iurisdictione mittere tenentur Ordinis magistro:*

1° *Annuaam relationem œconomicam, id est, integram propositionem de statu œconomico suæ cuiusque entitatis. Pecunia accepta, expensæ, crediti et debiti compensatio, anni ratio præsumpta, necnon consilia inita aut ineunda singillatim in ea describantur. Si autem plures vicariatus, conventus, domus vel instituta habeat entitas, idem faciendum est pro singulis. Etsi huius relationis forma pro aliis locis alia potest esse, relatio totum hic requisitum testimonium continere debet. Quo hæc facilius fiant, apud syndicum Ordinis formæ huius exemplum præsto sit.*

2° *Responsum de contributionum taxatione, necessarium ad contributiones entitatum Ordinis annuas supputandas. Ex responso enim eruetur quot sint bona erogata in formandis fratribus necnon in infirmitatibus fratrum curandis et in subveniendo aliis entitatibus Ordinis, et quot bona remaneant contributioni obnoxia. Ad hunc finem a syndico Ordinis quæstionarium quotannis mittatur, cuius forma unica esse debet pro omnibus entitatibus.*

568. — § I. — *Administratores delegati et deputati debent, iuxta normas pro syndicis conventus vel provinciæ constitutas, rationem reddere.*

§ II. — *Insuper negotio absoluto administrator deputatus rationem reddat superiori deleganti cum suo consilio.*

569. — *Syndicus provinciæ aut Ordinis rationem etiam reddat de sua administratione respectivo capitulo.*

570. — § I. — *Syndicus Ordinis modo pro syndico provinciæ statuto rationem reddat magistro Ordinis et suo consilio.*

§ II. — *Annis in quibus capitulum generale celebratur, relatio syndici Ordinis, a consilio œconomico Ordinis examinata et analyzata atque a magistro Ordinis cum consilio eius approbata, sessioni plenariæ capituli præsentetur.*

571. — *Superiores conventuum et moderatores institutorum sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, eodem modo ut supra nn. 563 et 565 statuto, rationes accuratas a respectivo consilio approbatas atque a perito externo congruenter recognitas mittant ad magistrum Ordinis.*

572. — *Prior provincialis et magister Ordinis de personali administratione rationem reddant respectivis capitulis.*

Art. IV – DE CONTRIBUTIONIBUS

573. — § I. — *Contributiones ex auctoritate sive capituli generalis sive provincialis imponantur, secundum modum ab ipsis determinatum, et computantur inter expensas ordinarias tum conventuum tum provinciarum.*

§ II. — *Magister Ordinis cum suo consilio contributiones imponere potest conventibus sub sua immediata iurisdictione.*

574. — § I. — *Contributiones inserviant adimpletioni rationis prævise seu æstimatæ (budget) ordinariæ.*

§ II. — *Imponendæ sunt secundum introitus singulorum conventuum aut provinciarum, servatis æquitate et proportione.*

575. — § I. — *Incepta quæ maiorem pecuniæ quantitatem requirunt a contributionibus ordinariis ne pendeant, sed in ratione prævise extraordinaria ponenda sunt. Media necessaria ad ista negotia peragenda in planificatione, de qua infra nn. 585 et sequentibus disponantur.*

§ II. — *Ad expensas capituli generalis quod attinet, præ mente habenda sunt:*

1° *expensæ itineris solvantur methodo sic dictæ peræquationis ita ut singuli capitulares de facto eandem summam pecuniæ solvant;*

2° *expensæ pensionis et expensæ generales pro capitulo proportionaliter solvantur a curia generalitia et a singulis provinciis, inter quas æquitas et proportio seroandæ sunt, modo stabiliendo in ipso capitulo;*

3° *sex mensibus ante convocationem capituli generalis syndicus Ordinis et syndicus conventus ubi fit capitulum generale, præparent rationem præventivam seu prævisam expensarum capituli, magistro Ordinis cum suo consilio submittendam. Postea ad singulas provincias mittatur ad eas consulendum.*

CAPUT XXV

DE ADMINISTRATIONE IN SPECIE

Art. I – DE MUTUA COLLABORATIONE INTER CONVENTUS, PROVINCIAM ET ORDINEM

576. — *Ut spiritus paupertatis et laboris cum fraterna caritate foveatur necnon ut responsabilitas omnium erga communitatem augeatur, capitulo conventus informationes dentur de proprio statu æconomico.*

577. — *Item iuxta modum a priore provinciali determinatum, syndicus provinciæ conventibus det informationes de statu æconomico provinciæ.*

578. — *Anno administrationis elapso, syndicus Ordinis, adprobante magistro Ordinis singulis prioribus provincialibus instructivam relationem de statu æconomico Ordinis pro anno præterito mittat, in qua includatur prævisum præsertim extraordinarium.*

579. — *Iuxta determinationem statuti æconomici syndicus provinciæ collaboret cum singulis syndicis conventuum, ad mutuuum consilium sibi præstandum et ad examinanda problemata administrationis.*

580. — *Ad syndicum Ordinis spectat inspicere administrationem æconomicam omnium conventuum et institutorum magistro Ordinis immediate subiectorum iuxta determinationem magistri Ordinis.*

581. — § I. — *Provincia debet habere consilium rei æconomicæ ex syndico provinciæ et ex duobus saltem fratribus idoneis compositum, sub præsentia ipsius syndici. Huic consilio addantur, si conveniens videatur, laici periti et fide digni.*

§ II. — *Consilii æconomici erit non tantum relationes omnes capitulo provinciali vel etiam consilio provinciæ subiciendas examinare, sed etiam auxilium consilio provinciæ præstare cum voto consultivo, quando agitur de rebus æconomicis maioris momenti, ut sunt præsertim ratio prævisa, taxationes contributionum, planificationes.*

§ III. — *Normæ, quibus consilium rei æconomicæ regitur, in statuto administrationis inserantur.*

582. — *Etiam in Ordine adsit consilium rei æconomicæ, cuius præses ex officio est syndicus Ordinis, quod exercet easdem functiones quam consilium æconomicum provinciæ.*

Art. II – DE COLLOCATIONIBUS

583. — § I. — *Si capitulo provinciali bene visum fuerit, servato iure possidentis etiam quoad redditus percipiendos, pecuniæ collocationes sive stricte sive late sumptæ non fiant a singulis conventibus, sed coniunctim pro tota provincia.*

§ II. — *Relate ad collocationes permutationesque necessarias consilium provinciæ det regulas generales, ita ut syndicus provinciæ in*

collaboratione cum consilio œconomico, auditis peritis independentibus, tempestive res peragere possit.

584. — *Ad collocationes stricte dictas faciendas et mutandas sufficit consensus consilii provinciæ servatis præscriptis iuris communis.*

Art. III – DE PLANIFICATIONE

585. — § I. — *Negotia maioris momenti cum vix queant a singulis conventibus vel institutis e propriis absolvi, et eorum exsecutio, ut in pluribus, vires unitas omnium membrorum et communitatum provinciæ requirat, planificari debent. Planificatio includit ordinem inceptorum ut unum negotium post aliud secundum prioritatem necessitatis et possibilitatis fiat, ita ut omnes successive mutuo se adiuvent.*

§ II. — *Negotia huiusmodi non sunt solummodo ædificia construenda vel restauranda aut opera inauguranda, quæ semel tantum maiorem summam pecuniæ requirunt, sed etiam illa quibus annuales subventiones assignari oportet.*

586. — § I. — *Planificatio fiat a capitulo provinciali, præhabito voto consilii rei œconomicæ.*

§ II. — *In planificatione propter necessitates provinciæ aut alicuius conventus, limitari possunt iura conventuum super bona temporalia, non exclusis translatione aut alienatione, semper tamen audito capitulo conventuum quorum interest.*

587. — *Ante exsecutionem alicuius negotii maioris momenti, quod sive pro inceptione sive pro futura sustentatione pecuniam requirit, in prævisione expensarum aperte indicandum est, ex quonam fonte pecunia requisita sumatur.*

588. — § I. — *Nullum ædificium extruatur nisi præmisso maturo peritorum voto circa locum et cetera necessaria, et antequam a consilio provinciæ, audito consilio rei œconomicæ, totius ædificationis deli-*

neatio una cum prævisione expensarum approbetur. Ita insuper ædificetur ut non indigeat multis expensis pro eius ordinaria conservatione.

§ II. — *Ædificationes eo modo faciendæ sunt, quo a consilio provinciæ sint adprobatae, et nemini liceat a re, prout est adprobata, secundum propriam æstimationem deviare.*

589. — § I. — *Ea quæ dicta sunt pro ædificiis construendis valent mutatis mutandis pro restauratione et reparationibus notabilibus necnon pro aliis negotiis maioris momenti.*

§ II. — *Curia Generalitia et singula instituta sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, quæ bona immobilia possident, in annua ratione præsumpta provisionem opportunam ad futura renovationis opera peragenda faciant.*

Art. IV — DE LIMITE EXPENSARUM

590. — *Capituli provincialis est statuere summam, ultra quam nec superior conventus, nec ipse cum suo consilio, nec prior provincialis sine suo consilio expendere vel dare licentiam expendendi potest.*

591. — *Negotia maioris momenti, quæ nullas expensas ab Ordine requirunt quia a subventionibus extraneorum solvuntur, etiam consensu debito indigent, ad normam n. 590 et articuli præcedentis.*

592. — *Capituli generalis est statuere summam, ultra quam magister Ordinis non potest licentiam expendendi concedere absque suo consilio.*

Art. V – DE ELEEMOSYNIS MISSARUM

593. — *Fratres Missas acceptatas tradere debent sacristæ maiori qui eas accurate in libro speciali adnotet, indicando diem receptionis, numerum, intentionem, condiciones, eleemosynam, celebrationem.*

594. — *Sacrista maior capsam specialem habeat pro servandis eleemosynis Missarum quæ celebrandæ sunt, et nonnisi post celebrationem earum pecunia in capsam communem introducatur. Singulis mensibus reddat consilio conventus rationem de Missis celebratis et celebrandis.*

595. — *Missæ quæ debito tempore a presbyteris conventus celebrari non possunt, ad priorem provincialem mittantur, quæ vero in provincia supersunt, ad magistrum Ordinis.*

Art. VI – DE PIIS FUNDATIONIBUS ET
LARGITIONIBUS CONDICIONATIS

596. — § I. — *Haud fratribus singulis sed solis personis iuridicis in Ordine, cum consensu respectivi consilii, pias fundationes vel alia dona cum obligationibus duraturis vel onerosis acceptare liceat.*

§ II. — *Omnes acceptationes onerosæ requirunt insuper consensum consilii provinciæ et non de facili admittantur quæ obligationem diu duraturam imponant.*

597. — *Condiciones et obligationes scripto consignentur, in duplici exemplari, quorum unum apud archivum provinciæ, alterum apud conventum ad quem spectat, asserventur.*

Art. VII – DE QUIBUSDAM CASIBUS
PARTICULARIBUS

598. — *Fratribus itinerantibus concedatur necessaria pecunia a superiore, cui rationem de ea et de aliis extra conventum acceptis reddant post itineris finem.*

599. — *Fratres hospites in conventu Ordinis pensionem congruam solvant vel non, secundum legitimam consuetudinem provinciae vel conventus.*

600. — *Si fratres in aliena provincia degunt vel laborant, sive sint in ea assignati sive non, priores provinciales quorum interest mutuo consensu vel inita conventionem de eorum conditione æconomica componant. Determinentur nempe quænam expensæ factæ pro illis restituendæ sint provinciae in qua degunt, vel e converso quænam emolumenta ob præstitum laborem retribuenda sint provinciae ex qua veniunt.*

601. — *Cum fratres permanenter apud instituta, opera vel alia huiusmodi quæ ad conventus vel provincias Ordinis non pertinent officium aliquod exercent vel laborem præstant, curet prior provincialis contractum inire in quo omnes condiciones accurate stabiliantur. Quando officium exercetur in territorio aliæ provinciae, contractus insuper notificetur priori provinciali loci. [♦ T 363 ♦♦ K 332]*

Art. VIII – DE LIBRIS EDENDIS

602. — *Quoties aliquis liber typis edendus est oportet contractum in scriptis inire.*

603. — *Omnes contractus, quando fieri potest, nomine personæ iuridicæ a lege agnitæ fiant et unum exemplar insuper in tabulario respectivi syndici provinciae vel Ordinis conservari debet.*

604. — *In statuto œconomico accuratius determinantur quoad libros imprimendos: de expensis faciendis, de condicionibus apponendis, de fine emolumentorum auctoris etiam post eius mortem.*

605. — *Provincia curam adhibeat pro editione librorum magni laboris scientifici quamvis sumptus excedant lucra prævisa.*

Art. IX – DE CONTRACTIBUS

606. — Omnes contractus alicuius momenti de rebus œconomicis in scriptis fiant iuxta normas in statuto administrationis provinciæ stabilitas.

607. — § I. — Debita et obligationes contrahendæ non permittantur, nisi certo constet ex consuetis redditibus debiti fœnus solvi et intra tempus non nimis longum per amortizationem reddi summam capitalem.

§ II. — In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes exprimi debent, sine ulla exceptione, omnia alia debita et obligationes quibus contrahens ad diem gravatur, secus obtenta venia invalida est.

§ III. — Contractus de debitis vel obligationibus contrahendis examini consilii œconomici subsint.

608. — § I. — *Ad alienandas res immobiles vel mobiles alicuius momenti requiritur etiam ut consilium rei œconomicæ provinciæ examinet utrum adsit iusta causa, æstimationem rei in scriptis faciat, et indicet æquum pretium obtinendum, consultis etiam peritis laicis, si necessarium sit.*

§ II. — *Contractus locationis generaliter nequeunt fieri sine prævia consultatione consilii œconomici. Insuper superior non potest facere contractum locationis sine consensu sui consilii.*

609. — § I. — *Contractus alienationis, locationis et quidem pro annua solutione conventa, vel debitorum aut obligationum contrahendorum subsunt regulis de limite expensarum, de quibus in nn. 590 et 592.*

§ II. — *In his contractibus autem prior provincialis cum suo consilio potest consensum dare usque ad summam a Sancta Sede pro singulis regionibus definitam (cf. CIC 638 § 3). Secus requiritur recursus ad magistrum Ordinis.*

Art. X — DE ASSECURATIONIBUS

610. — *Omnes conventus, provinciæ et Ordo assecurationes necessarias contrahere debent.*

611. — *In nationibus ubi viget assecuratio obligatoria medica vel pro senectute, infortuniis, invaliditate, pro oneribus erga personas læsas etc., fratres eas contrahere non omittant.*

612. — *Assecurationes contrahere omnino necesse est pro damno quod personis extraneis forte inferri potest. Non est licitum permittere ulli fratri machinas motoribus instructas conducere, nisi talis assecuratio habeatur.*

613. — *In statuto administrationis provinciæ assecurationes necessariæ et modi, quibus contrahi debent, determinantur.*

Art. XI — DE OPIFICIBUS LAICIS

614. — *Superiores debent assignare operariis iustam mercedem; et leges civiles, præsertim sociales circa assecurationes, fiscalia et alia huiusmodi accurate observari debent.*

615. — *In regionibus ubi leges sociales, de quibus supra, desunt, superiores secundum æquitatem socialem de securitate opificum providere debent.*

Art. XII – DE ADMINISTRATIONE
BONORUM EXTRANEORUM

616. — *Nullus, etiam superior, deposita personarum Ordini extraneorum in pecunia, documentis valorem pecuniæ habentibus vel rebus pretiosis acceptet, nisi gravi et urgenti de causa et de consensu consilii.*

617. — § I. – *Nullus frater ullam acceptet partem in administratione bonorum personarum extraneorum Ordini, sive sint personæ physicæ sive iuridicæ, nisi in casu exceptionalis et tunc de licentia prioris provincialis.*

§ II. – *Si huic administrationi adnexa sit obligatio rationis reddendæ, tunc licentia difficilius a priore provinciali concedatur, et ad tempus stricte necessarium.*

Art. XIII – DE LARGITIONIBUS

618. — *Communitas consentiente superiore ex bonis quæ divina Providentia ei est largita libenter “conferat ad alias Ecclesiæ necessitates et egenorum sustentationem, quos religiosi omnes in visceribus Christi diligant”.*³

619. — *Fratres cum debitores sint omnibus in Christo, spiritum liberalitatis colant, quæ affectu non quantitate donorum agnoscitur. Beneficientes ex impulsu caritatis meminerint eiusdem caritatis ordi-*

³ Decretum Vat. II *Perfectæ caritatis*, 13.

nem servare, et communitatum fratrum quæ egestate patiuntur nunquam obliviscantur.

DE CONSTITUTIONIBUS ET
ORDINATIONIBUS PRO QUIBUS
VALET ALIUS TEXTUS

- Constitutiones inchoatæ (★) vel adprobatae (★★) sed nondum confirmatæ.
- Constitutiones pro quibus alius textus viget vi inchoationis (⊕) seu adprobationis (⊕⊕), cum ordinatione.
- Ordinationes, a capitulo River Forest celebrato pro *Libro Constitutionum et Ordinationum* factæ vel a capitulis sequentibus ad normam n. 285 § I insertæ, quarum tamen loco a capitulis generalibus sequentibus aliæ ordinationes factæ sunt (◆), quin textus prævius definitive abrogatus fuerit (cf. n. 285 § II et Acta Capituli Generalis apud Madonna dell’Arco, nn. 29 et 30).

45. — § I. — *Frater per aliquod tempus moraturus in territorio alterius provinciæ, tempestive moneat respectivum priorem provinciæ, salvo semper n. 137. [◆ T 338 ◆◆ K 317]*

199. — § I. — Professio simplex facienda est sub hac formula:
“Ego frater N.N. facio professionem et promitto obœdientiam Deo et b. Mariæ et b. Dominico et tibi fratri N.N. magistro Ordinis Prædicatorum et successoribus tuis (vel: tibi fratri N.N. priori provinciali provinciæ...; vel: delegato...; vice fratris N.N. magistri Ordinis Prædicatorum et successorum eius), secundum regulam b. Augustini et institutiones fratrum Prædicator-

um quod ero obcædiens tibi tuisque successoribus ad triennium (vel: ad annum).” [★ T 342 ★★ K 320]

253. — § I. — Provincia constat ex tribus saltem conventibus quorum duo ad minus habeant octo vocales assignatos ibique habitualiter degentes. Insuper, omnes vocales provinciæ saltem sint quadraginta. [★ K 321]

§ II. — Provincia habere debet territorium a territorio aliarum provinciarum distinctum.

369. — § I. — *In casibus urgentioribus, quando plures adesse non possunt, sufficit ut præter præsidem consilii adsint saltem duo consiliarii.* [♦ K 323]

§ II. — *Quando agitur de rebus ad studium, ad professores et ad studentes pertinentibus, etiam quoad scholam apostolicam, semper adsit regens et moderator centri studiorum institutionalium.*

443. — § II. — Quando agitur de electione superiorum, ut quis eligi possit, requiritur etiam:

1° ut sit presbyter;

2° ut tres annos habeat a professione sollemni;

3° ut ad audiendas confessiones actualiter probatus sit in Ordine. [★ T 353 ★★ K 328]

601. — *Cum fratres permanentes apud instituta, opera vel alia huiusmodi quæ ad conventus vel provincias Ordinis non pertinent officium aliquod exercent vel laborem præstant, curet prior provincialis contractum inire in quo omnes condiciones accurate stabiliantur.* [♦ T 363 ♦♦ K 332]

APPENDIX

Quæ sequuntur vim habent directivam nisi ex natura sua (v.g. privilegia) vel ex determinatione iuris nostri vim obligandi habeant.

1. De natura constitutionum, ordinationum et declarationum (1 § IX; 275 § I)

Ex actis capituli generalis River Forest celebrati anno 1968, n. 85:

Constitutiones sunt leges fundamentales Ordinis, seu principia evangelica et theologica necnon determinationes de Ordinis natura et fine, forma vitæ et regimine.

Aliæ particulares normæ quæ, perspectis temporibus, dantur ad applicationem vel executionem constitutionum vocantur *ordinationes*.

Declarationes quæ in actis capitulorum fiunt sunt vel interpretationes legum vel suspensiones earum obligationis.

2. De ordinationibus in "Libro constitutionum et ordinationum" et in capitulis generalibus (1 § IX; 285)

Ex actis capituli generalis Madonna dell'Arco celebrati anno 1974, n. 29, 31–32:

Declaramus computationem duorum capitulorum generalium, quæ ad normam n. 285 § II LCO requiruntur *ad definitivam abrogationem Ordinationis* in eodem LCO existentis, incipere a capitulo generali Tallaghtensi anno 1971 celebrato, vel a subsequentibus capitulis generalibus ita nempe ut, si *revocatio ordinationis* facta fuerit in dicto capitulo Tallaghtensi, *abrogatio definitiva* possit haberi in præsentī capitulo generali; si vero *revocatio* fiat in hoc capitulo (S. Mariæ ab Arcu), *abrogatio definitiva ordinationis prædictæ* poterit haberi in sequenti capitulo generali. Et ita porro.

Declaramus nomine "*ordinationes*", de quibus in n. 285 § I LCO, intellegendas esse tam *ordinationes capitulorum generalium quæ textum ordinationum in LCO existentium mutant vel substituant*, quam *illas quæ quid aliud statuunt* atque in actis capitulorum generalium in variis sectionibus ponuntur, secundum diversitatem materiæ.

Declaramus verbis: "*Ordinationes quæ in libro constitutionum et ordinationum inveniuntur*", de quibus in n. 285 § II LCO, intellegendas esse *ordinationes "italice" impressas quæ revera in LCO inveniuntur*. Huiusmodi ordinationes, nisi abrogentur, in LCO manent.

3. De habitu (50)

Tunica habitus ante et retro consuta, ad cavillam pedum inclusive et non plus descendat. Cappa sit brevior tunica quattuor digitis et scapulare paulo brevius cappa talisque latitudinis ut cooperiat commissuram manicarum cum tunica.

Apertura caputii, vel albi vel nigri, uno amplius palmo non sit facie longior. Pars anterior infra sternum non dimittatur; posterior vero infra cingulum non descendat ultra quattuor digitos, nec latera ab humeris infra medium os, quod axillæ et cubito interstat, extendatur.

4. Consociationes Ordini adnexæ (152)

Consociationes Ordinis sunt: SS. Nominis Iesu; SS. Rosarii necnon Rosarii perpetui et viventis; Militiæ angelicæ; Beatæ Imeldæ.

5. Declaratio et protestatio pro admissione ad Ordinem aut ad professionem (174 § I – II; 191 § I)

Declaramus tibi quod post professionem tuam obligaberis ad tria vota, obœdientiæ, scilicet, castitatis et paupertatis. Item quod teneberis ad observantiam legum Ordinis; et insuper, quod professio tua erit nulla, si subdole aliquod grave impedimentum aut gravem defectum sanitatis tacuisses, vel dissimulasses, propter quem fuisses merito reiciendus.

Protestamur etiam tibi quod nihil mercedis repetere poteris ob quamcumque operam Ordini præstitam.

fr. N.N., O.P.
prior

fr. N.N.
(*candidatus*)

fr. N.N., O.P.
testis

fr. N.N., O.P.
testis

Ante professionem, sive simplicem sive sollemnem, eodem modo repellantur illa declaratio et ista protestatio.

6. Testimonium de novitiatus inceptione (178 § II)

Ego fr. N.N. (in sæculo N.N.), natus in urbe (*vel* oppido) N., in diœcesi N., die, filium N. et N., attestor quod, anno Domini, die mensis, sponte et absque ulla coactione ullove metu, novitiatum in Ordine prædicatorum in-ceperim intimatione facta a fr. N.N. priore huius conventus N. pro provincia N., sub fr. N.N. magistro Ordinis et fr. N.N. priore provinciali eiusdem provinciæ.

fr. N.N., O.P.
novitius

fr. N.N., O.P.
testis

fr. N.N., O.P.
testis

ita est:
fr. N.N., O.P.
prior

7. Litteræ institutionis magistri novitiorum, si extra capitulum provinciæ fieri debeat (182 § I; 213 § III)

Ego, fr. N.N., provinciæ N. Ordinis prædicatorum prior provincialis, dilecto fr. N.N., eiusdem Ordinis.

Cum probata novitiorum institutio ad Ordinis profectum plurimi valeat, auctoritate officii mei atque de consensu consilii provinciæ, te, fr. N.N. instituo in magistrum novitiorum in conventu N. cum omni auctoritate omnibusque iuribus quæ huic officio, ex iure communi et ex legibus nostris aut ex adprobata consuetudine, competere dignoscuntur; præcipiens tibi in virtute obœdientiæ ut præfatum officium acceptes et pro posse tuo,

divina gratia adiuvente, sub beatæ Virginis Mariæ beatique Domini Patris nostri patrocinio, diligenter et fideliter exsequaris.

Datum N., in conventu S., sub sigillo provinciæ, die mensis anni Domini

(sigillum provinciæ)

fr. N.N., O.P.

Reg. pag.

prior provincialis

fr. N.N., O.P.

a secretis

Eadem formula adhibenda est, mutatis mutandis, pro institutione magistri fratrum studentium aut fratrum cooperantium.

8. Testimonium de facta professione simplici aut sollemni (194)

Ego, fr. N.N. (in sæculo N.N.), natus in urbe (vel oppido) N., diœcesis N., die, filius N. et N., attestor quod anno Domini, die, sponte et absque ulla coactione ullove metu, professionem simplicem, iuxta consuetam in Ordine formam, emisim ad triennium (vel professionem sollemnem, iuxta consuetam in Ordine formam, emisim) pro provincia N. in manibus fr. N.N. prioris huius conventus N., sub fr. N.N. magistro Ordinis et fr. N.N. priore provinciali eiusdem provinciæ.

fr. N.N., O.P.

fr. N.N., O.P.

testis

fr. N.N., O.P.

testis

ita est:

fr. N.N., O.P.

prior

9. Testimonium de professione simplici renovata

(203 § I)

Ego, fr. N.N. (in sæculo N.N.), attestor quod, anno Domini, die, coram testibus infrascriptis, professionem renovavi ad triennium (vel ad tale tempus) in manibus fr. N.N., prioris huius conventus.

Subscribatur ut in formula præcedenti.

10. Litteræ dimissoriæ pro ordinandis (248 § I)

Ego, fr. N.N., provinciæ N. Ordinis prædicatorum prior provincialis, dilecto fr. N.N. eiusdem Ordinis.

Cum Ordo noster ad salutem animarum procurandam præcipue sit institutus et cum te, in religione nostra sollemniter professum noverim pro sacro ordine per vota prioris et fratrum a consiliis tui conventus rite propositum fuisse, et insuper ea possidere quæ pro ordine prædicto a iure communi et a legibus nostris requiruntur, secundum etiam privilegia et indulta a Sancta Sede Ordini nostro concessa, tibi, in virtute obædientiæ præcipio ut te sistas coram Rev.mo Episcopo (vel Archiepiscopo) N., quem humiliter rogo ut (ab interstitiis dispensare et) ad ordinem, pro quo approbatus es, promovere, tibi que de promotione tua testimoniales litteras concedere dignetur.

Datum N., in conventu S., sub sigillo provinciæ, die mensis anni Domini

(sigillum provinciae)

Reg. pag.

fr. N.N., O.P.

prior provincialis

fr. N.N., O.P.

a secretis

12. Elenchus provinciarum et vice-provinciarum Ordinis (259 § I)

(numeri prout in usu in secretariatu generali)

1. Hispaniae – 2. Tolosana – 3. Franciae – 4. S. Dominici in Italia – 5. Romana S. Catharinae Senensis – 6. S. Thomae Aquinatis in Italia – 8. S. Alberti magni Austriae et Germaniae – 9. Angliae – 10. Poloniae – 12. Bohemiae – 13. Croatica Annuntiationis BMV – 15. Portugalliae – 18. Hiberniae – 19. S. Iacobi in Mexico – 20. S. Ioannis Baptistae de Peru – 21. S. Ludovici Bertrandi de Colombia – 24. S. Augustini in Argentina et Chile – 25. Dominae Nostrae de Rosario – 27. S. Thomae Aquinatis in Belgio – 29. S. Ioseph in SFAS – 30. S. Pii V Melitensis – 31. S. Dominici Canadensis – 32. SS. Nominis Iesu in SFAS – 35. S. Alberti magni in SFAS – 36. Assumptionis BMV Australiae et Novae Zelandiae – 37. Fratris Bartolomaei de las Casas in Brasilia – 40. Reginae Martyrum in Viet-Nam – 41. Philippinarum – 42. S. Martini de Porres in SFAS – 44. S. Vincentii Ferrer in Centro-America – 45. S. Ioseph Opificis in Nigeria et Ghana – 46. Indiae – 83. Slovachiae – 84. S. Augustini in Africa Occidentali – 86. S. Caroli Lwanga in Africa Aequatoriali.

23. Vice-Provincia S. Catharinae Senensis de Ecuador – 43. Vice-Provincia Filius Mariae de Pakistan – 47. Vice-Provincia S. Pii V Rei Publicae democraticae de Congo – 48. Vice-Provincia Africae

Australis – 49. Vice-Provincia Reginae Sinæ – 85. Vice-Provincia Boliviae.

13. Litteræ assignationis (271; 391, 6°)

13A. Forma assignationis directæ ordinariæ

Ego, fr. N.N., provinciæ N. prior provincialis, dilecto fr. N.N.

Considerans provinciæ necessitates et tui ipsius in Christo utilitatem, tenore præsentium, meique auctoritate Officii, revocans prius assignationem tuam a quocumque conventu (seu domo) in quo (vel qua) assignatus existas, assigno te simpliciter conventui N. (*vel domui N.*), præcipiendo tibi in virtute obedientiæ ut intra *tot dies (vel quamprimum; vel quamprimum, commode tamen)* ad dictum conventum (*vel ad dictam domum*) iter arripas atque ad illum (*vel ad illam*) te transferas. Mando vero superiori dicti conventus (dictæ domus) sub eodem præcepto, ut te tamquam legitime assignatum benigne recipiat et caritative pertractet.

Datum, in conventu S., sub sigillo provinciæ, die mensis anni Domini

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

(sigillum provinciæ)

Reg. pag.

fr. N.N., O.P.

prior provincialis

fr. N.N., O.P.

a secretis

13B. Forma assignationis directæ ratione conventionis priorum provincialium (secundum formam C.G. Providentiæ)

Ego, fr. N.N., provinciæ A prior provincialis, dilecto fr. N.N., Provinciæ B filio.

Considerans Ordinis necessitates et tui ipsius in Christo utilitatem, tenore præsentium, meique auctoritate Officii, de consensu Prioris Provincialis Provinciæ B, vi LCO 391, 6°, differens prius assignationem tuam a Conventu in quo assignatus existas, assigno te ratione conventionis inter provincias, Conventui Sancti N, (*vel domui Sancti N*), N, ad *tale tempus*: (*pro tempore studiorum a Priore Provinciali dictæ Provinciæ determinato, pro anno academico, pro biennio, pro triennio, pro quadriennio, pro quinquennio*), præcipiendo tibi in virtute sanctæ obedientiæ ac sub formali præcepto, ut intra *tot* dies ad dictum conventum (*vel ad dictam domum*) iter arripias atque ad illum (*vel ad illam*) te transferas, ac præcipiendo actuali Superiori dicti conventus (*dictæ domus*) ut te tamquam legitime assignatum benigne recipiat et caritative pertractet.

Ad normam n. 391, 6° LCO, et secundum declarationem in appendice n. 16 in LCO latam, necnon conventionem inter priores provinciales stipulatam, cuiuslibet fratrum obligationes et iura habes in hoc conventu, præter vocem activam et passivam quoad electionem pro capitulo provinciali provinciæ A, conservans autem vocem activam et passivam pro eligendo delegato eunte ad capitulum provinciale provinciæ tuæ B.

Datum, in conventu S., sub sigillo provinciæ, die mensis anni Domini

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

(sigillum provinciæ)
Reg. pag.

fr. N.N., O.P.
prior provincialis

fr. N.N., O.P.
a secretis

13C. Forma assignationis indirectæ

Ego, fr. N.N., provinciæ A prior provincialis, dilecto fr. N.N., Provinciæ B filio.

Considerans Ordinis necessitates et tui ipsius in Christo utilitatem, Tenore præsentium, meique auctoritate Officii, de consensu Prioris Provincialis Provinciæ B, differens prius assignationem tuam a Conventu in quo assignatus existas, assigno te ratione studiorum, Conventui Sancti N., (*vel domui Sancti N.*), N, ad tale tempus: *pro tempore studiorum a Priore Provinciali dictæ Provinciæ determinato (pro anno academico, pro biennio, pro triennio, pro quadriennio, pro quinquennio)*, præcipiendo tibi in virtute sanctæ obedientiæ ac sub formali præcepto, ut intra *tot* dies ad dictum conventum (*vel ad dictam domum*) iter arripias atque recto tramite ad illum (*vel ad illam*) te transferas, ac præcipiendo actuali Superiori dicti conventus (*dictæ domus*) ut te tamquam legitime assignatum benigne recipiat et caritative pertractet.

Obligationes et iura habes, ratione stipulationis a duobus prioribus provincialibus signatæ.

Vel:

Ad normam n. 270 § III LCO, nisi aliud caveatur in conventionem, cuiuslibet fratrum obligationes et iura habes, singulatim ad participandum capitulis et communitatis adunationibus, ac vita communi et celebratione liturgiæ. Salvo semper n. 208 LCO, voce activa gaudes in capitulo conventuali, salvis electionibus ac rebus administrationis œconomicæ.

De planificatione studiorum, referre debes regente studiorum Provinciae assignationis tuae. Transacto tempore huius assignationis indirectae, reviviscit assignatio directa seu simpliciter prius facta.

Datum, in conventu S., sub sigillo provinciae, die mensis anni Domini

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

(sigillum provinciae)

fr. N.N., O.P.

Reg. pag.

prior provincialis

fr. N.N., O.P.

a secretis

14. De privilegiorum normis et usu (275 § I)

§ I. – Magistro Ordinis, ex auctoritate apostolica (cf. Bullam Iulii II, 14 dec. 1509), licet declarare, ad serenitatem conscientiae fratrum, non tantum constitutiones sed et concessionem a Sancta Sede habitas vel habendas.

§ II. – In privilegiis annumeratur, quod Sanctae Sedi, exclusis Ordinariis et iudicibus inferioribus, reservatur authentica interpretatio privilegiorum quae ipsa Ordini nostro aut regularibus in genere concesserit.

§ III. – Privilegiis a Sancta Sede concessis fratres nostri utantur non in spiritu singularitatis, sed in bonum Ecclesiae et Ordinis.

§ IV. – Privilegiis Ordinis a Sancta Sede provenientius, certo non per modum legis, nec fratres nec praelati valide renuntiant sine auctoritate et assensu capituli generalis.

14-bis. **De voto superiorum in consilio** (297-bis)

Ex authentica responsione Pontificiæ Commissionis pro interpretatione Codicis Iuris Canonici: “De superiore eiusque consilio” (die 5 iulii, 1985, AAS, 1985, p. 771), non pauca dubia exorta sunt, de quibus iam egit Capitulum generale abulense anni 1986 (Acta, n. 151).

Nunc vero res est iam aliquantulum clarificata quia, tum doctrina probatorum auctorum, tum recens praxis Curiae romanæ, teneant Instituta religiosa normas Constitutionum circa propria Consilia observare pegerere possunt vi athonomiæ Institutorum propria (cf. Can. 627).

Postquam res mature considerata est a Consilio nostro generali, præside Magistro Ordinis, et auditis aliis peritis in iure canonico, ad sequendam conclusionem perventum est:

Superiores Ordinis Nostri, sive fratres sive moniales, sequentes proprias Constitutiones prout a consuetudine immemorabili interpretatæ sunt, votum dare possunt simul cum suo Consilio.

Datum Romæ, de mandato Magistri Ordinis eiusque Consilii, die 17 februarii anni 1988.

fr. Raphaël Moya, O.P.

*Procurator Generalis*¹

15. **Documenta principalia in archivo provinciæ servanda** (383)

- Acta Sanctæ Sedis et magistri Ordinis a priore provinciali recepta;
- acta authentica, processus verbales et documenta capitulorum provincialium;
- registrum deliberationum consilii provinciæ;

¹ *Analecta O.P.*, 96 (1988), 188–189.

- acta principaliora et registrum actorum prioris provincialis;
- relationes post visitationes canonicas;
- conventiones cum Ordinariis locorum;
- documenta authentica de electionibus sive in vicariatibus provincialibus sive in conventibus;
- relationes priorum conventualium et vicariorum provincialium tum annuales tum in fine sui regiminis;
- contractus et documenta de administratione oeconomica;
- alter exemplar diversarum relationum ad magistrum Ordinis missarum, *a*) sive ipsius prioris provincialis in fine sui quadriennii, aut pro capitulo generali, *b*) sive de studiis, de missionibus, de administratione oeconomica, etc.

16. De assignatione directa ad conventum alia provinciae (391, 6°)

Ex actis capituli generalis Cracoviae celebrati anno 2004, n. 389:

Forma assignationis: agitur de assignatione directa cum omnibus iuribus et obligationibus, nisi quid aliud expresse praevideatur (cf. LCO 270) vi alicuius delegationis, Capituli Generalis (cf. LCO 271 § I).

Modus procedendi:

1° Opus est consensus inter duo Capitula Provincialia vel duos Priores Provinciales. In hac conventionem attendum est LCO 600.

2° Assignationem dat Prior Provincialis Provinciae in qua habetur Conventus. Et expresse declaratur quod assignatio fit vi LCO 391, 6°, consentiente N.N. Priore Provinciae in qua frater est assignatus.

3° Necessum est mittere Magistro Ordinis copiam conventionis et documentum assignationis.

Iura et obligationes fratris assignati:

1. Quoad conventum cui frater assignatus est

a. Vocem habet passivam et activam in conventu assignationis.

b. Nihilominus, ad mentem capituli Generalis Providentiæ celebrati, non habet vocem activam et passivam quoad electionem Socii aut Sociorum Prioris pro Capitulo Provinciali (LCO 491 § I); vel Delegati pro Capitulo Provinciæ in qua habetur Conventus suæ assignationis (LCO 497 § I, 1°).

c. Ideo frater assignatus iuxta LCO 391, 6° non est computandus tamquam vocalis pro eligendis Socio vel Socii Prioris euntis ad Capitulum Provinciale Provinciæ ad quam pertinet Conventus suæ assignationis (LCO 497).

2. Quoad vero Provinciam suæ assignationis, frater conservat vocem activam et passivam pro eligendo Delegato eunte ad Capitulum Provinciale Provinciæ suæ assignationis, ad normam LCO 497 § I, 4°. (cf. Providence 508)

17. Modus eligendi delegatum euntem ad capitulum generale (409-bis)

Ex actis capituli generalis Bononiæ celebrati anno 1998, n. 293:

Ad mentem LCO n. 409-bis declaramus, quod modus eligendi delegatum euntem ad capitulum generale in statuto provinciæ accurate determinandus est. Si duo vel plus vicariatus eiusdem provinciæ existunt, ad electionem vicarii euntis ad capitulum generale priorum provinciarum textus huius constitutionis plures possibilitates offert. Capitulo provinciali competit modum eligendi pro statuto determinare.

**18. Processus verbalis electionis vel postulationis
prioris conventualis (453 § I; 480 § II, 2°)**

Vacante prioratu nostri conventus post expletum in hoc officio fr. N. triennium (*vel propter talem aliam causam*), solliciti fuimus nobis de priore providere. Ideo citatis per me fr. N.N., præsidem electionis, et expectatis omnibus et singulis quorum interesset vel interesse putabatur ad electionem convenire, hanc electionem pereginus ad normam n. 452 Libri constitutionum et ordinationum.

Cum essemus vocales, scilicet:

1. fr. N., supprior in capite, præses electionis

2. fr. N.

etc. (nomina scribantur sic, in columna)

in primo (et unico) scrutinio habuerunt:

fr. N. N. vota

fr. N. N. vota

.....

.....

in secundo scrutinio habuerunt:

fr. N. N. vota

fr. N. N. vota

.....

.....

demum in° scrutinio habuerunt:

fr. N. N. vota

fr. N. N. vota

.....

.....

Tunc, obtenta maioriata pro electione (*vel* postulatione) requisita, ego (*vel, si supprior electus fuerit, primus scrutator*), declaravi fr. N. electum (*vel* postulatum) esse in priorem huius conventus.

Cum ergo electio (*vel* postulatio) nostra sit rite facta, et de persona idonea, te rogamus ut (*in casu postulationis, data dispensatione super tali defectu*) eam probare et fratrem electum (*vel* postulatum) confirmare, et nobis in priorem concedere digneris.

Datum, in nostro conventu, die mensis anni Domini

fr. N.
præses electionis

fr. N.
primus scrutator

fr. N.
secundus scrutator

fr. N.
actuarius

Si fuerunt septem scrutinia inutilia, dicatur sic:

Cum ergo, non obtenta in hoc septimo et ultimo scrutinio maioriata requisita, institutio prioris conventualis ad normam n. 474, 5° Libri constitutionum et ordinationum tibi devolvitur, te rogamus ut pro nostro conventu priorem instituere digneris.

Datum *etc.*

Eodem modo scribatur, mutatis mutandis, processus verbalis electionis vel postulationis vicarii provincialis, quando electio fit in congregatione speciali omnium vocalium.

**18-bis. Relatio vocalibus mittenda de exitu
scrutinii per litteras vel per instrumenta
electronica (455-bis § II, 5° et 6°)**

1° formula pro primo scrutinio:

Occasione nata eligendi delegatum primi (*vel* secundi/tertii...) collegii ad capitulum provinciale (*vel tale officium*), celeriter atque diligenter, servata lege, obligationem nostram solvimus. Et ideo, iuxta leges nostras, hanc electionem per litteras (*vel* per instrumenta electronica) peragimus ad normam n. 455-bis (*in casu electionis per instrumenta electronica* et n. 455-ter) Libri Constitutionum et Ordinationum. Elapso igitur tempore præfixo pro receptione schedularum, ego fr. N.N., electionis præses, et fratres scrutatores, scrutinium fecimus.

Cum vocales essent (*indicatur numerus*), scilicet:

fr. N.

fr. N.

etc. (nomina inscribantur in columna)

in scrutinio habuerunt:

fr. Albertus N., N. vota

fr. Franciscus N., N. vota

fr. Petrus N., N. vota

etc.

Si in hoc scrutinio maioritas requisita obtenta sit, processus verbalis sic prosequatur:

Tunc, obtenta maioriata pro electione (*vel* postulatione) requisita, ego declaravi (*vel, si ipse præses electus vel postulatus fuerit, antiquior ex scrutatoribus declaravit*) fr. N. electum (*vel* postulatam) esse in delegatum primi (*vel* secundi/tertii...) collegii ad capitulum provinciale (*vel tale officium*).

Si confirmatio requiratur:

Ergo, electione (*vel* postulatione) nostra rite facta, et de persona idonea, vobis notum facimus quod iam rogavimus fr. N., priorem provincialem (*vel talem superiorem*) ut (*in casu postulationis data dispensatione super tali defectu...*) eam probare et fratrem electum (*vel* postulatam) confirmare, et nobis eum in (*tale officium*) concedere dignet.

Datum, in nostro conventu S., die mensis anni Domini

fr. N.
præses electionis

fr. N.
primus scrutator

fr. N.
secundus scrutator

fr. N.
actuarius

Si vero maioritas non fuerit obtenta, sic prosequatur:

Tunc, non obtenta maioriata pro electione (*vel* postulatione) requisita, determinavi quod schedulæ pro novo scrutinio a vocalibus per litteras (*vel* per instrumenta electronica) mitti deberent ante diem mensis

Datum *ut supra* .

2° formula pro secundo, vel tertio, vel quarto et ultimo scrutinio:

Occasione nata eligendi delegatum primi (*vel* secundi/tertii...) collegii ad capitulum provinciale (*vel tale officium*) iam primum (*vel* secundum/tertium) scrutinium per schedulas inutile fecimus die mensis, ad normam 455-bis § II, 6° Libri Constitutionum et Ordinationum ut de delegato (*vel tali officio*)

provideremus. Elapso tempore a nobis præfixo pro receptione schedularum, ego, fr. N., electionis præses, et fratres scrutatores, novum scrutinium fecimus.

Cum vocales essent, scilicet:

Cetera ut supra.

19. De residentia habituali (458 § I)

Ex actis capituli generalis Tallaght celebrati 1971, n. 159:

Declaramus vocem *residentiam habitualem* referri debere ad residentiam quam frater habet in aliquo loco ratione muneris et per temporis spatium quod se protrahit magis quam in conventu suæ assignationis, non autem ad residentiam quam forsitan habet per longum tempus ratione infirmæ valetudinis, apostolatus saltuarii, etc., cum hoc in casu patet residentiam ipsius considerandam esse illam conventus suæ assignationis.

20. Litteræ confirmationis prioris electi seu postulati (465; 481 § I)

Ego, fr. N. provinciæ N., prior provincialis, dilecto fr. N.

Cum fratres vocales conventus nostri N. suo legitimo priore destituti, convenissent ut suo conventui de capite idoneo providerent, Te, cuius idoneitatem cognoverant, canonicè nuper elegerunt (*vel* postulaverunt), et me rogaverunt ut eorum electionem (*vel* postulationem) probare et confirmare dignarer. Ego vero, tuam ad id officium sufficientiam satis compertam habens, auditis aliquibus fratribus discretis, vocaliumque votis inclinatus, prædictam electionem (*vel* postulationem) probare decrevi. Quapropter, tenore præsentium, Te fr. N. confirmo in priorem præfati conventus, præcipiens in virtute obœdientiæ, Tibi quidem, ut infra quinque dies dictum prioratus offi-

cium acceptes et ad illius executionem te accingas, aut idem officium recuses; omnibus vero et singulis fratribus ad prædictum conventum pertinentibus, post tuam acceptationem, ut Te tamquam verum et legitimum priorem suscipiant.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Datum, in conventu S., sub sigillo provinciæ, die mensis anni Domini

(sigillum provinciæ)

fr. N.N., O.P.

Reg. pag.

prior provincialis

fr. N.N., O.P.

a secretis

documentum postea sic subscribatur:

acceptavi (*vel* recusavi) electionem (*vel* postulationem) die mensis anni ego fr. N.

Testis fui, fr. N.

Testis fui, fr. N.

Eodem modo scribantur et subsignentur, mutatis mutandis, litteræ confirmationis vicarii provincialis.

21. Professio fidei (471)

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo fidei, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spi-

ritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis; et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Firma fide quoque credo ea omnia quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Firmiter etiam amplector ac retineo omnia et singula quæ circa doctrinam de fide vel moribus ab eadem definitive proponuntur.

Insuper religioso voluntatis et intellectus obsequio doctrinis adhæreo quas sive Romanus Pontifex sive Collegium episcoporum enuntiant cum Magisterium authenticum exercent etsi non definitivo actu easdem proclamare intendant.

Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiæ exercendo:

Ego N. in suscipiendo officio promitto me cum catholica Ecclesia communionem semper servaturum, sive verbis a me prolatis, sive mea agendi ratione.

Magna cum diligentia et fidelitate onera explebo quibus tenor erga Ecclesiam, tum universam, tum particularem, in qua ad meum servitium, secundum iuris præscripta, exercendum vocatus sum.

In munere meo adimplendo, quod Ecclesiae nomine mihi commissum est, fidei depositum integrum servabo, fideliter tradam et illustrabo; quascumque igitur doctrinas iisdem contrariis devitabo.

Disciplinam cunctae Ecclesiae communem fovebo observantiamque cunctarum legum ecclesiasticarum urgebo, earum imprimis quae in Codice Iuris Canonici continentur.

Christiana obœdientia prosequar quae sacri Pastores, tamquam authentici fidei doctores et magistri declarant, aut tamquam Ecclesiae rectores statuunt, atque cum Episcopis diocesanis fideliter auxilium dabo, ut actio apostolica, nomine et mandato Ecclesiae exercenda, salvis indole et fine mei Instituti, in eiusdem Ecclesiae communione peragatur.

Sic me Deus adiuvet et sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango.²

22. Litterae cassationis electionis vel postulationis prioris conventualis (473; 481 § I)

Ego, fr. N.N., provinciae N. prior provincialis, tenore praesentium casso electionem (*vel* postulationem) fratris N.N. in priorem conventus N. simpliciter (*vel* propter *talem* defectum in forma electionis *seu* postulationis commissum), in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Mando vero vocalibus praedicti conventus ut, tempore et forma a legibus nostris praescriptis, ad novam electionem procedant.

Datum, in conventu S., sub sigillo provinciae, die mensis anni Domini

² cf. CIC 833, 8°; AAS 90 (1998), 542–543; ASOP 97 (1989), 48–50.

(sigillum provinciæ)
Reg. pag.

fr. N.N., O.P.
prior provincialis

fr. N.N., O.P.
a secretis

Eodem modo scribantur, mutatis mutandis, litteræ cassationis electionis vicarii provincialis.

23. Litteræ institutionis prioris conventualis

(474; 481 § II)

Ego, fr. N.N., provinciæ N. prior provincialis.

Vacante prioratu conventus nostri N., cum ad me, post septem scrutinia inutilia (*vel propter talem causam*), pertineat prædicto conventui de priore providere, sollicitus fui quantocius illum instituere. Quapropter, de consensu consilii provinciæ, Te, fr. N.N., ad istud onus elegi. Igitur, tenore præsentium, instituo Te, fr. N.N., in priorem præfati conventus, præcipiens in virtute obœdientiæ Tibi quidem, ut infra quinque dies dictum prioratus officium acceptes et ad illius executionem te accingas, aut idem officium recuses; omnibus vero et singulis fratribus ad prædictum conventum pertinentibus, post tuam acceptationem, ut Te tamquam verum et legitimum priorem suscipiant.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Datum

Litteræ subscribantur eodem modo quo litteræ confirmationis electionis, vide supra n. 20.

Eodem modo scribantur et subscribantur litteræ institutionis vicarii provincialis.

24. Processus verbalis electionis vel postulationis vicarii provincialis per litteras (480 § IV)

1° formula pro primo scrutinio:

Terminante mandata fr. N.N. in officio superioris nostri vicariatus provincialis N., solliciti fuimus de novo vicario provide-
re. Et ideo, iuxta statutum vicariatus, hanc electionem per litte-
ras peregrimus ad normam n. 480 § IV Libri constitutionum et
ordinationum. Elapso igitur tempore præfixo pro receptione
schedularum, ego fr. N.N., electionis præses, et fratres scrutato-
res, scrutinium fecimus.

Cum vocales essent (*indicatur numerus*), scilicet:

fr. N.

fr. N.

etc. (nomina inscribantur in columna)

in scrutinio habuerunt:

fr. Albertus N., N. vota

fr. Franciscus N., N. vota

fr. Petrus N., N. vota

etc.

*Si in hoc scrutinio maioritas requisita obtenta sit, processus verbalis
sic prosequatur:*

Tunc, obtenta maioriata pro electione (*vel* postulatione) re-
quisita, ego declaravi (*vel*, *si ipse præses electus vel postulatus fue-
rit*, antiquior ex scrutatoribus declaravit) fr. N. electum (*vel* po-
stulatum) esse in vicarium nostri vicariatus provincialis.

Cum ergo electio (*vel* postulatio) nostra sit rite facta, et de
persona idonea, te rogamus ut (*in casu postulationis data dispen-
satione super tali defectu*) eam probare et fratrem electum
(*vel* postulatum) confirmare, et nobis in vicarium provincialem
concedere digneris.

Datum, in nostro conventu S., die mensis
..... anni Domini

fr. N.
præses electionis

fr. N.
primus scrutator

fr. N.
secundus scrutator

fr. N.
actuarius

Si vero maioritas requisita non fuerit obtenta, sic prosequatur:

Tunc, non obtenta maioritate pro electione (*vel* postulatione) requisita, determinavi quod schedulæ pro novo scrutinio a vocalibus mitti deberent ante diem mensis

Datum *ut supra.*

2° formula pro secundo, vel tertio, vel quarto et ultimo scrutinio:

Terminante mandata fr. N. in officio superioris nostri vicarius provincialis N., iam primum scrutinium per schedulas inutile fecimus die mensis, ad normam n. 480 § IV Libri constitutionum et ordinationum, ut de novo vicario provideremus. Elapso tempore a nobis præfixo pro receptione schedularum, ego, fr. N., electionis præses, et fratres scrutatores, novum scrutinium fecimus.

Cum vocales essent, scilicet:

si maioritas requisita fuerit obtenta omnia ut in formula præcedenti.

si maioritas requisita non fuerit obtenta:

Cum ergo, non obtenta in hoc secundo (*vel tertio vel quarto*) et ultimo scrutinio maioritate requisita, institutio vicarii provincialis ad normam n. 480 § IV, 2° Libri constitutionum et ordinationum tibi devolvitur, te rogamus ut pro nostro vicariatu vicarium instituere digneris.

Datum *etc.*

25. Litteræ institutionis vicarii provincialis in aliquo vicariatu provinciali (481 § II)

Ego, fr. N.N., provinciæ N., prior provincialis, dilecto fr. N.
.....

Auditis votis vocalium vicariatus provincialis N., ad normam n. 481 Libri constitutionum et ordinationum tenore præsentium instituo te fr. N. in vicarium provinciale dicti vicariatus, præcipiens in virtute obedientiæ, Tibi quidem

Cetera, sicut supra n. 20.

26. Electio socii prioris euntis ad capitulum provinciale (490)

Ex actis capituli generalis Abulæ celebrati anno 1986, n. 154:

Quando in LCO 490 dicitur quod tot requiruntur vocales in conventu ad socium (vel socios) eligendum, prior conventualis in hoc numero computandus est, etiamsi iure suffragium non gaudet.

27. Litteræ testimoniales socii prioris euntis ad capitulum provinciale (495)

Nos infra scripti testamur fr. N.N., servatis de iure servandis, electum fuisse in socium fr. N.N., nostri prioris euntis ad capi-

tulum provinciale, hoc anno in conventu N. celebrandum. Rogamus igitur ut, tamquam verus socius, ad vocem in capitulo provinciali admittatur.

Datum, in nostro conventu, die mensis anni Domini

fr. N.N., O.P.
supprior, præses electionis

fr. N.N., O.P.
primus scrutator

fr. N.N., O.P.
secundus scrutator

fr. N.N., O.P. actuarius

28. *Litteræ testimoniales delegati ad capitulum provinciale* (500)

Nos infrascripti testamur fr. N., servatis de iure servandis, electum fuisse in delegatum primi (*vel* secundi/terti...) collegii ad capitulum provinciale, hoc anno in conventu N. celebrandum. Rogamus igitur, ut tamquam verus delegatus, ad vocem in capitulo provinciali admittatur.

Datum, in conventu, sub sigillo provinciæ, die mensis anni Domini

(sigillum provinciæ)

fr. N.N., O.P.
a secretis

fr. N.N., O.P.

prior provincialis (*vel* præses electionis)

fr. N.N., O.P.

consiliarius provinciæ (*vel* primus scrutator)

fr. N.N., O.P.

consiliarius provinciæ (*vel* secundus scrutator)

29. Processus verbalis electionis aut postulationis prioris provincialis (508 § II)

Vacante officio prioris provincialis provinciæ nostræ N., post expletum quadriennium fr. N.N. (*vel propter talem aliam causam*), solliciti fuimus novum priorem provincialem eligere. Ideo, ipsa die in Statuto provinciæ assignata (*vel ipsa die pro capitulo provinciali extraordinario a magistro Ordinis statuta*), hanc electionem ad normam n. 452 Libri constitutionum et ordinationum peregrimus.

Cum essemus (*indicetur numerus*), scilicet:

fr. N.N., O.P., vicarius provinciæ,

fr. N.N., O.P.

etc. (nomina inscribantur in columna)

In primo scrutinio habuerunt:

fr. N. vota

fr. N. vota

etc.

(erantque schedulæ nullæ).

In secundo scrutinio habuerunt:

etc. etc.

Tunc, obtenta in hoc tertio (*vel* quarto, *etc.*) scrutinio maioritate pro electione (*vel* postulatione) requisita, ego fr. N., præses capituli (*vel, si ipse præses electus aut postulatus fuerit, primus scrutator*) declaravi fr. N.N. electum (*vel* postulatum) esse in priorem provincialem provinciæ

Cum ergo electio (*vel* postulatio) nostra sit rite facta, et de persona idonea, rogamus paternitatem tuam ut (*si agitur de postulatione, data dispensatione de tali defectu.....*) eam probare, et fratrem electum (*vel* postulatum) confirmare ac nobis in priorem provincialem concedere dignetur.

Datum, in conventu, sub sigillo provinciæ, die, mensis, anni Domini

(sigillum provinciæ)

fr. N.N., O.P.

præses capituli

fr. N.N., O.P.

actuarius

fr. N.N., O.P.

primus scrutator

fr. N.N., O.P.

secundus scrutator

Si fuerunt septem scrutinia inutilia, tunc dicatur sic:

Cum ergo, non obtenta in hoc ultimo scrutinio maioritate requisita, institutio prioris provincialis, ad normam n. 512 § I, 1° Libri constitutionum et ordinationum, magistro Ordinis devolvitur, rogamus paternitatem tuam ut pro nostra provincia priorem provincialem instituere dignetur.

Datum, *ut supra.*

30. Litteræ testimoniales pro capitulo generali
(524)

Nos infrascripti testamur fr. N.N., in capitulo nostro provinciali, servatis de iure servandis, electum fuisse in diffinitorem (*vel* socium diffinitoris) primi (*vel* secundi) capituli generalis (*vel* in socium prioris provincialis euntis ad capitulum generale).

Rogamus igitur ut ad omnes actiones, quæ tali muneri competunt, in futuro et respectivo capitulo generali admittatur.

Datum, in conventu, sub sigillo provinciæ, die, mensis, anni Domini

(sigillum provinciæ)

fr. N.N., O.P.

præses electionis

fr. N.N., O.P.

actuarius

fr. N.N., O.P.

primus diffinitor capituli,
etc.

INDEX ANALYTICO- ALPHABETICUS¹

Abnegatio: 52 § I.

Abrogatio: constitutionis: 276.

– *ordinationis*: capituli generalis, 284; in Libro constitutionum et ordinationum insertæ, 285; magistri Ordinis, 284; in statuto provinciæ insertæ, 286 § I.

Absentia: fratris, 43; prioris conventualis, 304, 324; prioris provincialis, 346.

Absolutio: *ab officio* vide **Amotio**.

Abstentio in electionibus superiorum: 446, in negotiis tractandis: 297-bis.

Abstinencia: *a carne*, 49 § III; *a suffragio*, 297-ter.

Acceptatio electionis vel institutionis: prioris conventualis, 466, 469, 470 § I, 476; vicarii provincialis, 481; prioris provincialis, 510; magistri Ordinis, 534 § I.

Accumulatio bonorum non admittatur: 32 § III, 539 § I.

Acolythatus (ministerium): 215-bis.

Acta: *capituli provincialis*: redactio, 362, 515 § V; lingua, 362 § IV; adprobatio, 362 § IV; promulgatio, 363; auctoritas et duratio, 363 § II; dispensatio, 364; conservatio, Appendix 15.

– *capituli generalis*: redactio, 275 § I 2°, 417 § II 10°, 11°; receptio a provinciis, 419 § II; promulgatio, 282 § I; dispensatio et interpretatio, 420.

¹ Numeri rotundi in obliquo, cursivi vero in directo tractant.

Actuarius: capituli provincialis: institutio, 358 § I 2°, munus, 362 § I, 507 § III.

– *capituli generalis:* institutio, 417 § I 2°; munus, 417 § II 11°, 419 § I, 531 § II.

– *in electionibus:* 448 § I–III; 473 § III.

Administratio œconomica: 307, 311 § I 2°, 537–619. Vide **Accumulatio bonorum**, **Administratores bonorum**, **œdificia**, **Alienatio bonorum**, **Assecurationes**, **Associationes civiles**, **Bona temporalia**, **Centralizatio**, **Collocationes pecuniæ**, **Consilium œconomicum**, **Contributiones**, **Debita**, **Ratio præsumpta**, **Syndicus**.

Administratores bonorum: 544, 545, 560, 562, 568.

– *delegati:* 318 6°, 542 § II, 568 § I.

– *deputati:* 542 § III, 568.

Admissio in Ordine vide **Novitiatus**, **Professio**.

Admonitiones in capitulo provinciali faciendæ: 358 § V 1°.

Adnotatio: assignationis: 272.

– *declarationum ante novitiatum;* 174 § I et II, Appendix 5.

– *intimationis novitiatus:* 178 § II, Appendix 6.

– *professionis:* 194, Appendix 8.

Adprobatio: ad confessiones audiendas: facultas necessaria, 136, 138; examen speciale, 251; requiritur pro voce passiva in electionibus superiorum, 443 § II.

– *de moribus religiosis:* 245, 251 § III, 318 4°.

– *inchoationis:* 276, 277.

Adscriptio: provincix: 254 1°, 267, 268, 269, 270 § I. Vide **Affiliatio**, **Assignatio**.

– *conventui:* 270 § I, 272. Vide **Assignatio**.

Adsistens religiosus in scholis aut universitatibus: 103

Adsistentes magistri Ordinis : vide **Socius**

Adspirantes ad Ordinem: tempus præparationis, 167

Adventus : 53 § I

Ædificia: 37, 538 § I, 585 § II, 588 § I, 589.

Æqualitas suffragiorum: in capitulo conventuali, 313 § II; in consilio conventuali 319; in capitulo provinciali, 359; in capitulo generali, 417 § II 6°; in electionibus, 450 § III.

Ætas: pro admissione ad Ordinem, 168 § I, 196 1°; pro voce passiva, 443 § II, 479 § I 1°, 505 § I 1°, 527.

Affiliatio: *ad provinciam:* 198, 254, 267; quando et quomodo contrahitur, 178 § II, 267, 268. Vide **Transfiliatio**.

– *et bona hæreditaria:* 548 6°.

– *et suffragia pro defunctis:* 73 § II.

Aggregatio institutorum sæcularium Ordini 147.

Alienatio bonorum: 586 § II, 608 § I.

Ambitus socialis ministerii: 131–134.

Amicitia fraterna: 28 § II.

Amotio: non de facili fiat ante aliquam electionem, 442 § II.

– *a magistro Ordinis* amoveri possunt: omnes officiales generales ad eius nutum instituti, 401 § II, 429 § I, 431 § II; gravi de causa omnes superiores et officiales totius Ordinis, 398 § I; regens studiorum, 230 § I 1°.

– *a vicario Ordinis*, non obstante n. 402, non possunt amoveri socios magistri Ordinis, nec priores, sive provinciales sive conventuales, 404 § II.

– *a priore provinciali*, amoveri non possunt nisi de consensu magistri Ordinis: consilarii provinciæ, 368; nisi de consensu consilii provinciæ: vicarii provinciales et priores conventuales, 373 1°; officiales provinciæ a capitulo provinciali instituti, 374, 380; parochi, 373 2°, magistri formationis, 182 § I, 213 § III, 374.

– *a vicario provinciali* numquam amoveri possunt superiores, 345 § II 1°.

– *a priore conventuali* amoveri possunt officiales ad eius nutum instituti, 330, sed non supprior nisi de consensu capituli, 310 2°, nec syndicus nisi de consensu consilii, 318 1°.

Analecta Ordinis prædicatorum compendiose publicant acta capitulorum provincialium: 362 § IV.

Anniversaria defunctorum: 70 § II.

Apostata ab Ordine: 13, 441 4°.

Apostolatus est missio Ordinis, 1 § IV, elementum principale observantiæ regularis 39–40, a castitate 28 § II et abnegatione fovendum, 52 § I, ad quod studium ordinandum est, 77 § I–II, cuius sacrificium eucharisticum est fons primus, 59 § I, et ideo est finis totius institutionis fratrum, 154. Vide **Doctrina, Evangelizatio, Ministerium verbi, Missio Ordinis, Vita apostolica**.

- *pertinet*: ad provinciam, 89 § I, 106 § III, 107, 109 § II, 339, 351 § I, 358 § III, 372 § I, 384, 390 § I; ad conventum 7 § II, 8, 100, 299 1°, 307, 311 § I 2° et II, 459; ad fratres presbyteros, 1 § V–VI, 100 § II, 249; ad fratres cooperatores 1 § VI, 100 § II, 215, 219 § II; ad fratres clericos studentes, 162, 215, 225; ad novitios, 162, 178 § III, 188; ad laicos, 101 § III.

Vide **Cooperatio, Planificatio**.

Apostoli vide **Imitatio apostolorum, Vita apostolica**.

Archivista: provinciæ, 381; Ordinis, 431, 437. Vide **Archivum**.

Archivum: *conventus*: 453, 597.

- *provincia*: 140, 362 § I, 381, 382, 453, 508 § II, 597, Appendix 15; archivum secretum prioris provincialis, 382.
- *Ordinis*: 140, 362 § IV, 419 § I, 437.

Vide **Tabularium**.

Assecurationes: 610–613, 614.

Assignatio: 270–272; definitio, 270 § I; directa, 270 § II et V, 271 § V; indirecta, 208, 270 § II–V; necessitas, 270 § V, 271 § IV; cui pertinet, 271 § I–III, 358 § V 2°, 384-bis 6°, 391 5°–6°; quomodo fit, 38 § II, 271 § V, 272, Appendix 13.

- *iura confert*: in suffragatione pro admissione fratrum, 208; in regimine conventus, 303, 304, 457, 491 § I, vicariatus provincialis, 478, provinciæ, 497, 514 § I 3°, 522; in electione delegatorum vicariatuum et domorum extra fines provinciæ vel in domibus sub iurisdictione magistri Ordinis pro capitulo generali, 407–409-ter.
- non de facili facienda ante aliquam electionem: 442
- habet effectus circa bona temporalia acquirenda, 546 1°, quoad suffragia post mortem, 73 § I, § II 2°.

Associationes civiles: 555.

«**Auctoritate officii nostri**» in litteris magistri Ordinis: 399.

(Bank) vide **Mensæ publicæ**.

Beatificatio vide **Postulator generalis causarum**.

Benefactores: gratitudo erga eis manifestanda per preces et laborem, 15 § II; 538 § II; suffragia pro defunctis, 70, 72.

Bibliotheca conventualis: 88 § I 2°, 89 § I 5°; in centrīs studiorum, 91 § II.

Bibliothecarius: 88 § I 2°, 330.

Bona temporalia: *fratrum*: ante professionem sollemnem, 32 § II, 200; post professionem sollemnem, 32 § I–II, 212, 546 1°, 548 5°, 549 2°; bona hereditaria, 548 6°.

– *conventus*: 546, 586 § II.

– *provinciæ*: 548.

– “*Ordinis*”: 549.

– *extraneorum*: quibus condicionibus administranda, 616–617.
Vide **Administratio œconomica**.

Bonum commune: 4 § II, 18 § I–II, 20, 32 § I, 36, 339 2°, 393 § I, 405.

(Budget) vide **Ratio præsumpta**.

Canonizatio vide **Postulator generalis causarum**.

Cantus in officio divino: 65.

Capitulum conventuale: 307–313.

- 1. *natura et munus*: 1 § VII, 307.
- 2. *compositio*: 308-309, 312 § V, 324; *secretarius*, 309 § I.
- 3. *convocatio*: 308 § II, 312 § I–II et IV.
- 4. *præparatio*: 312 § III–IV.
- 5. *modus tractandi*: 297-bis, 312 § III–IV, 313.
- 6. *registratio*: 309 § I, 312 § VI.
- 7. *valor deliberationum aut votorum*: 311 § III, 312 § V, 313, 373 4°.
- 8. *competentia*:

A. de iure capitulo conventuali competit:

electio prioris ac socii prioris euntis ad capitulum provinciale, 310 1°; consensus ad institutionem supprioris, 310 2°; electio lectoris conventualis, 310 6°, 326-bis § I; sententia danda pro institutione prioris immediate ab officio cessantis vel supprioris in capite ut vicarii super conventum, 302 § II;

determinatio numeri consiliorum et eorum electio, 310 3°, 315; suffragatio pro admissione fratrum ad professionem, 308 § II, 310 4°, 312 § V; colloquium bis in anno cum magistro novitiorum circa novitios, 185; semel saltem in anno cum magistro fratrum studentium, 214 § III;

missio petitionum aut quæstionum ad capitulum generale aut provinciale, 310 5°, 415 § II 2°.

B. capituli etiam est:

audiri ad instituendam domum in conventum, 262; vitam communitatis ordinare 311 § I 1°, v. g. determinare: modum habendi capitulum regulare, 7 § II; formas pænitentiae, 53 § I, specialiter pro tempore Quadragesimæ, 49 § III; tempus opportunum pro oratione mentali, 66 § II;

de apostolatu conventus tractare, 100, 311 § I 2° et II;

de administratione temporali tractare, 311 § I 2°, i.e. de statu œconomico conventus informationes accipere, 576; a

capitulo provinciali audiri ante dispositionem de bonis superfluis, 539 § I et ante aliquam limitationem iurium conventus circa sua bona, 586 § II;
sententiam suam dare de ratione præsumpta (Budget) conventus si hoc a capitulo provinciali determinatum fuerit, 563 § II;

C. alia, iuxta determinationem capituli provincialis, 311 § II.

Vide **Capitulum regulare, Colloquia**.

– 9. potest esse non distinctum a consilio, si in conventu adsunt octo vocales vel minus, 197, 315-bis.

Capitulum generale: 405–420.

– 1. *natura et munus*: 1 § VII, 17 § I, 252, 405; species, 406.

– 2. *compositio*:

A. Ius participandi habent:

magister Ordinis, 407–409;

ex-magistri Ordinis, 407–409;

quæcumque provincia, 254 4°, 258, 405, 407–409-bis, Appendix 17;

quæcumque vice-provincia, 257 2°, 258, 407;

conventus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, 407-409, 409-ter.

B. capituli electivi, 407, 407-bis.

capituli diffinitorum, 408, 409-bis, 409-ter.

capituli priorum provincialium, 409, 409-bis, 409-ter.

C. Adsunt aliqui ex sociis magistri Ordinis et syndicus Ordinis, 410 § I.

D. Convocari et audiri possunt: delegatus ex unoquoque conventu sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, 410 § II; quidam periti 410 § II.

E. auxilium omni capitulo præstant:

secretarius, 414; actuarii, 417 § I 2°.

F. de loco inter capitulares, 259, 438-bis § II.

- 3. *convocatio*: quando, 411–412, 413 § I; ubi, 413 § I et IV; quomodo, 404, 413.
- 4. *præparatio*: 414–416.
- 5. *modus celebrandi*: 417, 418 § I, 419 § I; sessio a solis vocalibus, 417 § II 8°; secretum, 418 § II.
- 6. *registratio*: processus verbales, 417 § II, 419 § I; acta, 417 § II, 419 § II, Appendix 15.
- 7. *auctoritas*: 1 § VII, 405.
- 8. *competentia*:

A. circa legislationem Ordinis:

tria capitula successiva possunt constitutiones facere, mutare vel abrogare, 276.

unicuique capitulo competit: inchoare, adprobare aut confirmare mutationem vel abrogationem alicuius constitutionis, 276, 277; ordinationes facere, 275 § I 2°, 277, 282 § I, 284, et revocare, 284, 285 § II, vide etiam **Liber constitutionum et ordinationum** ; omnes leges Ordinis authentice declarare, 290; rationem formationis pro toto Ordine adprobare, 163.

B. circa applicationem legislationis, unicuique capitulo competit pro toto Ordine:

declarare aliquam legem non urgere, 283; a legibus Ordinis dispensare, 292 § I, 293; præcepta formalia dare, 295.

C. circa statum Ordinis, capituli est provincias erigere, dividere, inter se coniungere, aut suppressere, 256.

D. circa regimen Ordinis:

capitulum generale debet; petitiones sibi missas examinare et tractare, 310 5°, 415; diversas relationes examinare et adprobare, vide **Relationes** ; contributiones diversis provinciis imponere, 573–574; summam statuere ultra quam magister Ordinis licentiam expendendi concedere non potest absque suo consilio, 592;

capitulum generale potest: assignationes facere, 271 § I; aliquem fratrem in magistrum in sacra theologia promovere, 97 § I 5°.

– 9. *expensæ*: 575 § II.

Capitulum generale diffinitorum: 406, 408, 409-bis, 409-ter, 412, 418 § I.

Capitulum generale electivum: 404 § I, 406, 407, 407-bis, 412, 413 § III, 417 § II 5°, 526–536.

Capitulum generale priorum provincialium: 406, 409, 409-bis, 409-ter, 412, 418 § I.

Capitulum generalissimum: auctoritas specialis, 276 § II; compositio, 421–422; condiciones speciales pro convocatione, 423.

Capitulum provinciale: 351–364, 485–525.

– 1. *natura et munus*: 1 § VII, 252, 254 3°, 351.

– 2. *compositio*: vocales, 352; præsides, 347–349, 359; diffinitores, 357 3°, 514 § II; actuarii, 358 § I 2°.

– 3. *convocatio*: quando, 353, 354, 355; quomodo, 355, 356.

– 4. *præparatio*: electiones, 356 1°, 485–501; tractatus in conventibus ac regionibus et petitiones, 310 5°, 356 3° et 4°, 387; (commissiones præparatoriæ), 357 1°.

– 5. *modus celebrandi*: 279 § III, 357–360; duratio, 361.

Sessiones capituli sunt:

vel omnium vocalium, 352: pro organizatione capituli, 358 § I, 515 § II; pro electionibus, 351 § I, 357 2°–5°, 502, 506–508, 511, 513–519, 520–525; pro negotiis, 97 § I 3°, 351 § I, 358 § III 3°, 359, 362;

vel commissionum: 358 § I 3°–4°, § III 1°–2°;

vel diffinitorii: 358 § III 3° § IV–V, 359, 360, 362 § IV;

vel etiam diffinitorii cum diffinitorio aliæ provinciæ, 392.

– 6. *documenta*: processus verbales, 362 § I; acta, 362 § II–IV, 363–364.

- 7. *auctoritas*: potestas ordinaria ad normam iuris diffinitorii, 24, 252, 271 § II, 295, 360; vis obligandi ordinationum, 278 2°, 279 § II 1°, 286.
- 8. *competentia*: salvo iure adprobandi magistri Ordinis, 279 § II 2°, 362 § IV, capitulo provinciali competit:
 - A. legislationem propriam provinciæ stabilire, statutum provinciæ determinando vel mutando, 278 1°, 279, 286 § I, et alias ordinationes faciendo, 278 2°, 286 § II:
 - a. circa vitam fratrum:
 - de libris et instrumentis ad usum concessis, 38; de longo itinere vel absentia prolongata, 43; de formis pœnitentiæ, 53 § I, specialiter quantum ad ieiunium et abstinentiam, 49 § III; de recitatione rosarii in communi vel privatim, 67 § II; de precibus in mensa dicendis, 69.
 - b. circa institutionem fratrum:
 - de compositione et munere consilii formationis, 158, de tempore modo et loco pro præparatione ad novitiatum, 166 § I, 167; de cultura humana requisita pro admissione ad novitiatum fratrum cooperantium, 169 § III; de interruptione vel divisione temporis pro novitiatu requisiti, 178 § III; de tempore vestitionis, 176; de ordinaria prorogatione professionis simplicis post primum triennium, 201 § I; de interruptione studiorum exercitationum causa, 225 § II; de votatione de moribus ante diversa examina, 245; de normis pro formatione fratrum cooperantium, 218.
 - c. circa regimen conventuum:
 - de quibusdam condicionibus pro voce activa, 458 § II; de materia et valore deliberationum capituli conventualis, 311, 563 § II; de relinquendis examini et decisioni consilii conventualis, 318 7°; de normis pro officialibus conventus, 330; de ratione reddenda a priore conventuali in fine sui regiminis, 306; de statuto domorum

filialium, 335 § II; de fratribus extra conventum degentibus, 336, 458 § II.

- d. circa rem œconomicam, iuxta speciale statutum administrationis ordinandam; vide **Statutum administrativis œconomicæ provinciæ** ; et etiam de limitatione iurium conventuum, 546, 548; de aliqua centralizatione collocationum, 583 § I.
- e. circa regimen provinciæ:
 - de vicario provinciali, 346; de vicario provinciæ, 348 § I; de modo ipsum capitulum provinciale celebrandi, 279 § III, 357, et specialiter de vocalibus supplementariis, 352 § II, de peritis in capitulo, 485, de relationibus ab omnibus superioribus mittendis, 358 § III 1°.
- B. vitam et apostolatam totius provinciæ pro proximo quadriennio ordinare (cf. 372 § I):
 - a. rationem redditam de regimine vicarii provinciæ adprobare, 350; statum et condiciones provinciæ recognoscere 358 § III 1°;
 - b. apostolatam et ministerium planificare, 106 § III, 107; vide **Planificatio** ;
 - c. priorem provincialem et consiliarios provinciæ eligere, vide **Electio** ;
 - d. determinare præsentias necessarias in consilio ampliori, 375 § I;
 - e. determinare collegia pro electione delegatorum ad proximum capitulum provinciale, 498;
 - f. instituere: archivistam provinciæ, 381; magistrum fratrum cooperantium in primo triennio, 217; magistrum fratrum studentium, 213 § III; magistrum novitiorum, 182; syndicum provinciæ, 378, 380; alios officiales provinciæ, 380;
 - g. pro titulis magistri in sacra theologia fratres proponere, 97 § I 3°;

- h. fratres assignare, 271 § II–III, 358 § V 2°, 391 6°;
- i. examinatores designare pro ordinandis, 248 § I;
- k. de conditione conventuum agere, et specialiter de petitione magistro Ordinis mittenda pro erectione vel suppressione alicuius conventus, 261 § I; de reductione alicuius conventus ad condicionem simplicis domus, 264; de aliqua domo filiali instituenda, 335 § I 1°; de constitutione vel acceptatione centri studiorum academicorum necnon universitatis et de petitione facienda ad magistrum Ordinis, 93-bis § I; de consensu dando pro erectione scholæ apostolicæ, 166 § I;
- l. vicariatus provinciales instituere, 384; eorum particularia statuta conficere, 375 § I, 384 § II, 384-bis, 480 § I;
- m. administrationem œconomicam planificare, 586 § I, v.
 - g. aliqua iura conventuum limitare, 539 § I, 586 § I;
 - contributiones imponere, 548 8°, 573–574, summam statuere maximam pro expensis sive superiorum sive consiliorum, 590.

C. de bono totius Ordinis curare:

- a. electiones pro capitulo generali facere, 520–525;
- b. petitiones aut quæstiones capitulo generali mittere, 415 § II 2°.

D. suffragia pro defunctis præscribere potest, 75.

Capitulum provinciale extraordinarium: pro electione prioris provincialis tantum, 351 § II, 502, 503 § I, 504, 507 § III, 511; pro electione diffinitorum capituli generalissimi, 422.

Capitulum regulare: 7 § II–III.

Capitulum vicariatus provincialis: 384-bis 1°.

Capitulum vice-provinciae: 257, vide **Capitulum provinciale**.

Capsæ speciales: prioris provincialis et magistri Ordinis, 543; sacristæ, 594.

Caput Ordinis: 1 § VII, 17 § II. vide etiam **Magister Ordinis**.

Caritas fraterna: 4 § I, 7 § I, 14, 28 § II, 59 § I, 390.

Cassatio electionum: 467 § I, 472–473, 481 § I, 509 § II, 511, Appendix 22.

Castitas: exemplum s. Dominici, 25; significatio et valor professionis castitatis, 26; difficultates et condiciones profectus in professione castitatis, 27–29; castitas et vita communis, 3 § II.

Celebratio vide **Liturgia**.

Centralizatio in administratione temporali provinciae: 556, 583 § I.

Centrum studiorum in *Ordine*: 91, 92, 93 § I 7°;

– in *provincia*: 91 § IV, 92, 92-bis, 93 § I 5°, 233 § I–II;

– *institutionalium*: 92 1°, 93 § I 2°, 230 1°, 233 § I–II, 234 1°–3°, 237, 254 2°, 391 4°;

– *studiorum superiorum*: 92 2°, 93-bis § I–II, 234 4°;

– *studiorum specialium*: 92 3°, 93-bis § III;

– *formationis permanentis*: 92 4°, 251-ter § I 3°.

Cessio bonorum: 200 § I–V.

Charisma: *Ordinis*, 101 § II; 112.

– et obcedentia, 20 § II.

Chorus: celebratio in choro, 61 § I et III.

Christus vide *Iesus Christus*.

Clausura: 40, 41, 42, 43.

Clericalis: religio nostra est –, 1 § VI.

Clerici (fratres): membra *Ordinis*, 1 § IX, novitiatus pro statu cooperantium valet pro clericis et e converso, 179; institutio religiosa 213–216, 221–225 ; formatio intellectualis, 169 § I–II, 226–245 ; formatio apostolica 215, 225.

Codex iuris canonici: can. 127: Appendix 14-bis; can. 166 § 3: 445; can. 172 § 2: 449; can. 181 § 1: 450 § IV; can. 590: 21; can. 609–612, 616: 261 § I; can. 627: Appendix 14-bis; can. 638 § 3: 609 § II; can. 647 § 2: 180 § II; can. 647 § 3: 180 § III; can. 648–649: 178 § III; can. 655: 195 § II; can. 656–657: 202; can. 657 § 3: 210; can. 665 § 1: 441 3°; can. 668 § 2: 200 § V; can. 684 § 1–2: 201 § II; can. 688: 204 2°; can. 690 § 1: 168 § II; can. 694 § 2:

373 7°; can. 694–704: 204 3°; can. 696–697: 45-bis; can. 699: 45-bis; can. 764–765: 136; can. 833: Appendix 21; can. 966 et seq.: 136; can. 967–969: 138; can. 1029: 246 4°, 318 5°; can. 1036: 247; can. 1051: 246 4°, 318 5°.

Cœtus ad examinandum candidatos ad novitiatum: 171–173.

– *professorum*: 93, 233 § I, 237 § I.

Collaboratio vide **Cooperatio**.

Collegia pro educanda iuventute: vide **Schola**.

– *electiva* pro electione delegatorum ad capitulum provinciale: 490 § III-IV; 497 § II, 498.

Collocationes pecuniæ: 583–584.

Colloquia: *in conventibus* inter ipsos fratres, 6, 7, 100 § IV; inter fratres et professores aut peritos, 88 § I 1°;

– *in conventibus formationis* inter ipsos novitios aut studentes, 7 § III; inter ipsos professores, 240 § I; inter studentes et professores, 240 § I; inter studentes, professores et fratres ministerio addictos, 240 § II; inter magistrum novitiorum fratrumque studentium et fratres conventus, 185, 214 § III;

– inter priores provinciales aut officiales eiusdem regionis vel nationis, 391 1°;

– de vita regulari, 6, 7; de apostolatu 6, 88 §1 1°, 100 § IV; de studio, 88 § I 1°, 240; de novitiis, 185; de fratribus studentibus, 214 § III.

Commissio de vita intellectuali provinciae: 89 § II, 92-bis, 251-ter § I 1°, § II 2°, 326-bis § II 2°.

Commissio permanens de promotione studii in Ordine: 90 § II.

Commissiones: capituli provincialis: præparatoriæ, 357 1°; in ipso capitulo, 358 § I 3°–4°; § III 1°–2°;

– *interprovinciales*: 391 2°;

– *capituli generalis*: compositio, 415 § V, 417 § I 4°; quomodo laborant, 417 § II 2° et 4°.

Communicatio socialis: fratres utantur diversis instrumentis pro communicatione sociali, 104.

Communio (fraterna): 1 § VI et VII, 2 § I, 3 § I, 5, 6, 12, 16, 29, 143, 144, 214 § II.

Communitas: 1 § VII, 4 § I, 7 § I et III, 8, 17 § I, 18 § II, 20 § I, 30, 32 § II–III, 59 § I–II, 61 § I, 62 § I, 100 § I et III, 119 § I, 126, 161, 165 § III, 219 § I, 237 § III, 260 § I, 272, 297 2°, 300 2°, 311 § I 1°, 538, 576.

Concelebratio missæ conventualis: 59 § II.

Concilium Vaticanum II vide **Lumen gentium, Optatam totius, Perfectæ caritatis.**

Conferentiæ episcopales: de cooperatione provinciarum in territorio eiusdem conferentiæ episcopalis existentium, 390 § I.
– *interprovinciales*, 395.

Confessio sacramentalis fratrum: 60, 187 § III.

Confessiones audiendæ vide **Adprobatio ad confessiones audiendas.**

Confirmatio constitutionis inchoatæ et adprobatæ, 276 § I, 277.

– *electionum:* in genere, 453 § I, 454–455, consilarii conventus, 315 2°; prioris conventualis, 301 § I, 465–471, Appendix 20; vicarii provincialis, 481 § I, Appendix 20; prioris provincialis, 509; pro electione magistri Ordinis, confirmatio non requiritur, 533.

Confraternitates Ordinis promoveantur, 153; elenchus, Appendix 4.

Congregatio electiva pro electione prioris provincialis: vide **Capitulum provinciale extraordinarium.**

Consecratio nostra baptismalis: 189 § I.

– *nostra:* 1 § III.

– *religiosa:* 2–55, 52 § I, 118.

– *vitæ Deo per professionem:* 26 § I, 191 § II; vide **Professio.**

– *significata per habitum,* 51.

Consilia evangelica: professio nostra, 1 § IV, 19 § I, 83, 189 § II.

– in *Institutis sæcularibus*, 147.

Consiliarii conventus: 315 2°.

– *vicariatus provincialis*: 386.

– *provinciae*: 357 4°, 366, 368, 519.

– *magistri Ordinis*: 424.

Vide **Consilium**.

Consilium conventuale: 314–319.

– 1. *natura et munus*: 1 § VII, 314.

– 2. *compositio*: vocales, 310 3°, 315–316; secretarius, 316; numerus minimus participantium, 317 § II; syndicus semper vocetur, 317 § III; officiales conventus audiuntur, 317 § IV.

– 3. *convocatio*: 312 § I–II, 319, 324.

– 4. *præparatio*: 312 § III–IV, 319.

– 5. *modus tractandi*: 297-bis, 312 § III, 313, 319.

– 6. *liber consilii*: 316.

– 7. *auctoritas*: 317 § I–II.

– 8. *competentia* :

A. Consensus vel votum consilii requiritur:

pro institutione aut amotione syndici, 318 1°; pro institutione bibliothecarii et sacristæ, 330;

pro admissione fratrum ad professionem, 318 2°;

pro dimissione postulantis aut novitii in casu urgenti, 183 § II, 318 3°;

pro adprobatione de moribus ante examina, 245, 318 4°;

pro adprobatione de ordines suscipiendos, 246 3°, 318 5°;

pro præcepto formali toti communitati a priore imponendo, 297 2°;

pro administratione œconomica, scil: adprobatio rationum syndici et aliorum administratorum, 318 6°; licentia expendendi summam ultra limites a capitulo provinciali

pro priore conventuali statutas, 590; acceptatio piarum

foundationum vel donorum cum obligationibus duraturis,

596; contractus locationis, 608 § II; acceptatio depositorum extraneorum, 616;
 pro diversis negotiis a capitulo provinciali determinatis, 318 7°.

B. Consilii etiam est:

in conventu novitiatus, colloquia habere de novitiis cum magistro novitiorum, 185;

petitiones aut quæstiones pro capitulo generali ad magistrum ordinis mittere, 415 § II 2°;

sententiam suam dare antequam capitulum provinciale de bonis superfluis conventus disponat, 539 § I.

– 9. potest essere non distinctum a capitulo in conventu ubi ad-sunt octo vocales vel minus, 197, 315-bis.

Consilium domus non sit distinctum a capitulo: 333.

Consilium formationis: 158.

Consilium generalitium: 424–425.

– 1. *munus*: 424.

– 2. *compositio*: 424, syndicus semper vocetur 436: secretarius, 435 2°.

– 3. *competentia*:

A. ei competit, mortuo vel amoto magistro Ordinis quamprimum vicarium Ordinis eligere, 403.

B. eius consensus requiritur:

ut magister Ordinis provinciam vel vice-provinciam erigat vel dividat vel alii coniugat vel supprimat, 256, 256-bis, 257;

ut erigatur conventus pro novitiatu, 180 § I vel in casibus particularibus candidatus novitiatum peragere possit in alia Ordinis domo, 180 § II; ut magister Ordinis licentiam det expendendi ultra summam a capitulo generali statutam, 592.

C. cum suo consilio magister Ordinis agere debet:

pro promotione ad magisterium in sacra theologia, 97 § I 5°;
 ad sustinendam cooperationem inter provincias, 106 § IV;
 pro transitu religiosi ab alio instituto ad Ordinem, 201 § II;
 pro indulto dispensationis votorum simplicium, 204 2°;
 pro declaratione de non urgentia alicuius legis, 283 § I;
 pro declaratione circa iura alicuius provinciæ pro capitulo generali, 258;
 pro institutione officialium curiæ generalitiæ, 431 § II;
 pro adprobatione statuti administrationis œconomicæ Ordinis, 553;
 pro contributionibus conventuum sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, 573 § II.

Consilium œconomicum Ordinis: 582.

Consilium œconomicum provinciæ: munus, 581 § II; compositio, 581 § I; normæ procedendi, 581 § III.

– debet audiri: ante adprobationem delineationis pro ædificio, 588 § I; de alienationibus faciendis, 608 § I; de collocationibus, 583 § II; de contractibus locationis, 608 § II; de debitis vel obligationibus contrahendis, 607 § III; de planificatione œconomica provinciæ, 586 § I.

Consilium provinciæ: 365–375.

- 1. *natura et munus*: 365, 372 § I.
- 2. *compositio*: vocales, 366, 368; numerus necessarius participantium et quomodo (corporaliter vel non), 369; secretarius, 367; syndicus semper vocetur 370 § I; audiendi 370 § II–III.
- 3. *convocatio*: 368 § II, 371.
- 4. *præparatio*: 371.
- 5. *modus tractandi*: 297-bis, 371, 372 § II–III.
- 6. *Liber consilii*: 367, Appendix 15.
- 7. *auctoritas*: 372 § II, 374, 386 § III.
- 8. *competentia*:

- A. agnoscere impedimentum habituale pro celebratione integrali Officii divini in aliquo conventu, 61 § II.
- B. adprobare:
 rationem de vitæ intellectualis statu in provincia, 89 § II;
 ad constituendum centrum studiorum specialium, 93-bis § III;
 rationem pro successione in apostolatibus provinciae, 107 § II;
 rationes annuales conventuum et institutorum, 564;
 rationem annualem syndici provinciae, 566;
 relationem de statu œconomico provinciae, quotannis ad magistrum Ordinis mittendam, 567;
 delineationem alicuius ædificii construendi, 588.
- C. consensum vel votum dare:
 pro transfiliatione alicuius fratris, 269, 373 5°; pro privatione fratris a voce activa, 373 6°, 441 4°; pro declaratione facti ad dimissionem cuiusdam fratris, 373 7°; pro admissione ad novitiatum alicuius adspirantis qui iam antea Ordinem vel aliam religionem deseruerit, 168 § II; pro admissione ad professionem, ut filius provinciae, fratris novitii ex alia provincia, 198; pro transitu a statu cooperatorum ad statum clericorum et vice versa 179; pro professione prima vel sollemni quando consilium conventus non sit distinctum a capitulo, 197, 207; pro professione sollemni fratris, qui per annum præcedentem professionem extra conventum proprie dictum propriae provinciae commoratus est, 207;
 pro translatione vel reassumptione conventus in eadem civitate, 261 § II; pro erectione alicuius domus in conventum proprie dictum, 262, 373 3°; pro cassatione decisionis consilii vel capituli conventualis. 373 4°;

ut intra limites territoriales provinciæ conventus ab alia provincia erigatur, 261 § III; pro acceptatione parœciæ 128 § III; pro præsentatione vel amotione parochi, 373 2°; pro institutione: (absque electione) vel absolutione vicarii provincialis, 373 1°, 481 § II, prioris conventualis, 263, 373 1°, 474, Appendix 23; socii prioris provincialis, 376 § III, et omnium officialium quæ ordinarie a capitulo provinciali instituendi sunt, 374; pro propositione regentis studiorum a magistro Ordinis instituendi, 231 2°; ut prior provincialis præceptum formale toti provinciæ imponat, 297 2°; pro acceptatione donorum cum obligationibus duraturis, 596 § II; pro collocationibus pecuniæ stricte dictis a syndico provinciæ vel a conventibus faciendis vel mutandis, 584; pro licentia expendendi summam ultra limites a capitulo provinciali pro priore provinciali statutas, 590.

D. determinare:

modum electionis delegatorum ad capitulum provinciale, 499 § I;

normas pro collocationibus a syndico provinciæ faciendis, 583 § II.

E. petitiones aut quæstiones magistro Ordinis pro capitulo generali mittere, 415 § II 2°.

F. scrutinium facere potest pro electionibus per litteras, 455-bis § II, vel per instrumenta electronica, 455-ter § III 3°, Appendix 18-bis.

G. votum dare ut prior provincialis:

determinet modum aptiorem procurandi institutionem fratrum, 231 1°, locum pro formatione presbyteri votorum simplicium, 222;

adprobet statuta scholæ apostolicæ, 166 § II;

proroget tempus privationis vocis activæ pro fratre qui in Ordinem redierit post illegitimum egressum, 441 4°; aliquam summam determinet ad studiorum promotionem, 89 § I 6°.

H. omnia quæ capitulo provinciali ex iure nostro competunt, si extra capitulum necessitas urget, salvis nn. 279 § II et 358 § IV, 374.

Vide **Capitulum provinciale**.

Consilium provinciæ amplius elapso biennio post prioris provincialis confirmationem: 375.

Consilium vicariatus provincialis: 386; acta priori provinciali mittenda sunt, 386 § I; consulatur de rebus quæ vicariatum respiciunt, 386 § III; potest determinare tempus electionis vicarii provincialis, 477 § II; votum pro professione in casibus particularibus, 197, 207 § I; cum adprobatione consilii provinciæ auctoritas pro acceptanda parœcia, 128 § III.

Consociationes Ordini adnexæ: 152–153, Appendix 4.

Constitutio: natura, 275 § I, Appendix 1; quomodo fit et mutatur, 276; promulgatio, 282 § I; interpretatio, 290, 291; de usu vocis “constitutio”, 275 § II. Vide **Liber constitutionum et ordinationum**.

Constitutiones monialium: 143.

– *primævæ*: 1 § II et VI, 17 § I, 36, 76, 77, 188.

Constructio ædificii: 37, 585 § II, 588.

Consuetudo *legi contraria* : 289 § II, Appendix 14-bis.

– *legitima*: 275 § I 4°, 289 § I.

Consultatio vocalium ante institutionem superioris: 302 § II, 332 § I, 481 § II 1°.

Contemplatio: 1 § IV, 3 § I, 41, 57, 66 § I, 83, 129, 142.

Continentia: 28 § I; vide **Castitas**.

Contractus: inter conventum aut provinciam et laicum, si est representans legalis, 555 § IV; inter provinciam et fratres qui

aliquod officium extra provinciam aut Ordinem exercent, 601.

– de libris edendis, 602–605 ; de aliis rebus œconomicis, 606–609.

Contributiones conventuum, 548 8°, aut provinciarum, 549 3°; a quibus et quomodo taxandæ et solvendæ, 573–575 ; taxatio a consilio œconomico examinanda, 581 § II.

Conventus: cellula fundamentalis Ordinis, 1 § VII, 252, pro vita fraterna, 4, liturgia, 57, 59 § I, studio, 76, et apostolatu, 100, 311 § I 2° et II.

– intellegitur sive ut **Conventus proprie dictus**, sive ut **Domus** : quæ generaliter dicuntur de conventibus valent etiam pro domibus nisi aliud expresse caveatur, 260 § II.

– quomodo erigendus, 261 § I; translatio vel reassumptio in eadem civitate, 261 § II; condiciones speciales pro erectione conventus intra limites alterius provinciæ, 261 § III; erectio conventuum in territoriis missionum commendatur, 112, 119 § II.

– potest habere **domus filiales**, 335 § I.

– præter a legibus Ordinis et provinciæ, regitur ab ordinationibus sive prioris, 280, 287, sive visitatoris, 288, 341 1°.

– ius habet bona temporalia acquirendi et administrandi, 540, 546, salva aliqua potestate capituli provincialis hoc ius limitandi, 586 § II; planificatio œconomica conventus includenda est in planificatione provinciæ, 585.

– suppressio: a qua auctoritate, 261 § I; documenta asservantur in archivio provinciæ, 381 2°; bona temporalia ad provinciam devolvantur, 547.

Vide **Capitulum conventuale**, **Consilium conventuale**, **Fratres extra conventum**, **Officiales conventus**, **Prior conventualis**.

Conventus formationis: ordinari debent ad completam institutionem fratrum, 160, 161, 213 § II; quotannis a priore provinciali visitari debent, 340. Vide **Conventus novitiatus**.

Conventus interprovincialis : 391 5°, 497 § I 4°.

Conventus novitiatus: 180, 185.

Conventus proprie dictus:

– 1. *condiciones speciales et iura:*

6 fratres, ex quibus 5 vocales (4 presbyteri), cum iure eligendi priorem: 260 § I.

8 vocales, cum iure eligendi priorem et socium ad capitulum provinciale: 490 § I.

16 vocales cum iure eligendi duos socios vel tres si habet 24 vocales, vel quattuor si habet plus quam 32 vocales, 490 § II.

Fratres in domo filiali degentes non computantur ad numerum fratrum pro conventu proprie dicto requisitum, 335 § III.

– 2. *obligationes propriæ:*

qualibet hebdomada, una missa celebrari aut applicari debet pro defunctis, 71 § I;

aliæ obligationes eædem sunt pro conventibus proprie dictis et pro domibus.

– 3. *erectio et reductio:*

erectio domus in conventum proprie dictum: 262, 373 3°;

erectio immediata conventus proprie dicti: 263;

reductio conventus in statum simplicis domus: 264.

– 4. *congregatio conventuum:*

pro vicariatu provinciali requiritur 1 cum 15 vocalibus: 384;

pro vice-provincia requiruntur in territorio ad minus 2 cum 25 vocalibus: 257 1°;

pro provincia requiruntur 3, ex quibus 2 cum 8 vocalibus, et cum 40 vocalibus in provincia: 253 § I.

Conventus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis: ab iisdem legibus reguntur quam alii conventus, nisi magister Ordinis aliter determinaverit, 337.

- consensus magistri Ordinis requiritur si aliquis frater conventus eligitur in priorem conventualem in aliqua provincia, 468 1°; magistro Ordinis competit fratres conventus episcopo præsentare pro ordinibus suscipiendis, 246 3°; ipse fratres proponat pro magisterio in sacra theologia, 97 § I 3°.
- includuntur sub designatione “Ordo” in sectione de administratione œconomica, 541; pro administratione manent sub vigilantia syndici Ordinis, iuxta normas a magistro Ordinis approbatas, 580; contributiones magistro solvant, 549 4°, 573.
- delegatos eligant pro capitulo generali, 407-409, 409-ter; quilibet delegatum habere potest qui possit a capitulo generali convocari et audiri, 410 § II.
- fratres ibi assignati iura habent in capitulo provinciali, 497 § I 2°, 514 § I 3°.

Conversio christiana: 1 § VII.

- *cordis*: 105 § III.

Cooperatio inter: fratres eiusdem conventus, 4 § II, 6, 20 § IV, 84, 100, 300 2°, 576; conventus et provinciam, 89 § I 3°, 107, 577, 579, 585, 586; provincias, 90 § I 3°, 114 § I-II, 121, 339 2°, 390-395 ; provincias et magistrum Ordinis, 89 § I 2°, 113 2°, 578.

- Ordinis *cum*: episcopis, 1 § V, 101 § I, 339 3°; aliis presbyteris et religiosis, 101 § II, 130 § II, 339 3°; familia dominicana, 145, 148, 150; laicis, 101 § III, 103 § II, 555 § IV, 581 § I; hominibus bonæ voluntatis, 101 § IV, 132 § I.

- *in*: apostolatu, 1 § V, 6, 100, 101, 103, 107, 145, 148, 150, 300 2°, 339 2° et 3°, 341 2°, 390, 393, 394; missionibus, 114, 121; formatione fratrum, 156-159, 161, 427-bis 3°; studio, 84, 86 § II, 89 § I 2°, 90 3°, 103 § II, 130 § II, 391 4°; conventibus interpro-

vincialibus, 391 5°; administratione œconomica, 555 § IV, 576–582.

Cooperatores (fratres): quæ de fratribus in genere dicuntur valent pro illis, exceptis casibus ubi expresse de ‘clericis’ vel ‘presbyteris’ agitur, 1 § VI et IX.

– partem habent in apostolatu, 100 § II, 219 § II.

– admittuntur sub quibusdam condicionibus culturæ, 169 § III; novitiatum habent in communi cum clericis, 179; novitiatum pro statu cooperatorum valet pro statu clericorum et e converso, 179; formatio specialis post novitiatum et post triennium professionis simplicis, 217–220 ; formatio doctrinalis, 220 § I, generalis et technica, 217, 220 § II.

Corpus Christi: 1 § V.

– *episcoporum*: 1 § V, 99 § I.

Correctiones a superioribus faciendæ: 7 § II, 54–55.

Culpa: leges Ordinis non obligant ad culpam: 1 § VI, 55 § I, 281.

Curia generalitia: 425–438-bis.

Curriculum studiorum: 241–242.

Debita: quis de eis respondere debet, 545; indicentur in libris administrationis, 558, et in relationibus superioribus aut consiliis exhibendis, 563 § I, 566; quibus condicionibus contrahenda, 607.

Declaratio: notio declarationis in iure Ordinis, Appendix 1.

– de non urgentia alicuius legis, 283.

– a magistro Ordinis facienda circa interpretationem legis 291, 420.

Vide **Interpretatio**.

Declarationes a diffinitorio in actis capituli provincialis faciendæ: 358 § V 1°.

– candidato faciendæ ante admissionem ad novitiatum vel professionem, 174 § I, 191 § I, Appendix 5.

Defuncti (fratres): memoria eorum recolatur, 16, 362 § III; suffragia, 16, 70–75, 358 § II, 417 § II; scripta servanda, 381 3°.

Delegati ad capitulum provinciale: 352 § I 4°-5°, 356 1°, 497–501, litteræ testimoniales, Appendix 28

– *ad capitulum generale*, ex vicariatibus: 407–409-bis, Appendix 17; ex conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, 407–409, 409-ter, 410 § II.

“De profundis” : semel saltem quotidie in communi recitetur: 72.

Depositum personale in mensis publicis (bank): 561.

Deputatio: natura et condiciones, 273–274.

Destitutio vide **Amotio**.

Devotiones: erga SS. Eucharistiam, 67 § I; B. V. Mariam, 67 § II; s. Dominicum et sanctos Ordinis, 67 § III.

Dialogus cum aliis religionibus et non-credentibus : 111, cum aliis christianis, 123.

Difficultates doctrinales: 86 § III, 139-bis.

Diffinitores capituli provincialis: quando et quot eligendi 357 2°–3°, 515 § I, II 1°; eligibiles, 514; quomodo eligendi, 515 § II 2°, § III–IV; auctoritas in capitulo, 360, 516, munus speciale in capitulo, 358 § III 3°, § IV–V, 359, 362, 376 § III; pertinent ad consilium provinciae, 366 4°.

– *capituli generalis:* eligibiles, 443 § I, 522; electio in capitulo provinciali, 357 5°, 520–525 ; litteræ testimoniales, Appendix 30; vocem habent in electione magistri Ordinis, 407 § I 3°, in capitulo generali electivo, 407 § II 3°, in capitulo generali diffinitorum, 408 3°.

– *capituli generalissimi:* 421–422.

Dilectio: 13, 25, 28 § II.

Dimissio postulantis vel novitii: 183 § II, 184, 318 3°.

– *fratris professi:* 204 3°, 373 7°.

Dimissoriae (litteræ): 248, Appendix 10.

Directio spiritualis: vide **Educatio vitæ christianæ**.

Director scholæ aliquando a consilio provinciæ audiri debet: 370 § I.

Dispensatio a legibus Ordinis: principium fundamentale, 1 § VI; quibus competit ius dispensandi, 292; duratio dispensationum, 293.

magistro Ordinis semper reservantur dispensationes ab actis capituli generalis, 420, ab incompatibilitate officiorum (salvo n. 334), 460 § II, ab impedimentis in casu postulationis, 467 § II;

priori provinciali reservantur dispensationes: de actibus capituli provincialis in casibus particularibus, 364; ut supprior ad tertium triennium successivum instituat, 322 § I; ut superior domus munere syndici fungat, 334; (cum suo consilio) circa ordinationem celebrationis liturgicæ in conventibus, 61 § II;

superiori locali specialiter commendatur dispensatio cum fratribus infirmis, 9.

Doctrina: munus doctrinale Ordinis, 77 § II, 89 § I 1°, 99 § I, 102, 103.

– difficultates doctrinales, 86 § III, 139-bis.

Documenta servanda: vide **Archivum**.

Dominicus (s.): 1 § I–II et IV, 9, 17 § I, 30, 39, 52 § II, 56, 57, 67 § III, 76, 98, 142, 144, 147, 149, 189 § IV, 199 § I, 214 § I, 396.

Domus: definitio, 260 § I; quando et quomodo in conventum proprie dictum erigenda, 262, 373 3°; regimen, 331–337.

Vide **Conventus** (cf. 260 § II)

